
BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
14 N
21

# TRACTATUS PHYSICO-MEDICUS,

*De*

# Origine Formarum,

*Pro*

D. DANIELE SENNERTO,

Facult. Medicæ in VVitteberg. Academiâ Professore & Seniore &c.

*Contra*

D. JOHANNEM FREITAGIUM,

Medic. in Groningæ & Omlandiæ Academiâ Professorem &c.

*Conscriptus*

*à*

M. JOHANNE Sperlingen/

Physicæ in Academiâ Witteberg. Professore P.

a


*WITTEBERGÆ,*

Impensis JOHANNIS HELWIGII Bibliop.

*Excudebat Ambrosius Rothius Acad. Typogr.*

*Anno* M DC XXXIV.









VIRIS

*GENEROSA NOBILITATE ET Magnificentiâ, perquàm Reverendâ Dignitate, Auctoritate, rerumq; Usu & Consiliorum dexteritate longè Praeclarissimis, Protosynedrij Ecclesiastici Electoralis, quod Dresdae est, Praesidi & Consiliariis Eminentissimis,*

DN. FRIDERICO à Metzsch/ in Reichenbach & Friesen Hæreditario, Aulæ Electoralis Saxon. Consiliario & Præsidi &c.

DN. MATTHIÆ HÖE ab HÖENEGK, in Göngdorff/ Ober- & NiederRachwitz Hæreditario, Theologo Præcellentissimo, Aulæ Cæsareæ & Palatij Imperialis Comiti splendidissimo, Serenissimo Electori SAX. à Concionibus aulicis, Confessionibus Sacris & Consiliis Ecclesiasticis primariis &c.

Dn. ÆGIDIO STRAUCHIO, SS. Theol. Doct. Eximio, Ecclesiæ Dresdensis ad D. Crucis Pastori Meritissimo, & vicinarum Superintendenti Dignissimo juxtà ac Vigilantissimo &c.

Dn. D. LEONHARTO KOPPELIO, JCto Celeberrimo, Serenissimo Electori Sax. ab Appellationum Consiliis &c.

Dn. NICOLAO HELFRICHIO, J.U.D. famigeratissimo, atq; honoratissimo &c.

*Dominis Evergetis ac Promotoribus meis devotè venerandis.*





*UNDUM egregiam egregiorum miraculorum compagem esse,* Viri Summi & Eminentissimi, Patroni ac Mecœnates æternùm Venerandi, *Naturæ scrutator subindè ingeminat. Tam exquisitè enim formatus, tàm concinnè ornatus & ordinatus, tàm mirabiliter structus ac instructus est, ut mens istum exactiùs pensiculans nonposit non altâ exclamare voce: Quot opera, tot miracula! Quid enim divite suo condit sinu Terra? Quid Aqua? Quid Aer? Quid Cœli? Nil nisi innumerabiles miraculorum myriades. Terra in medio Universi pendula & super NIHILUM fundata, quot quæso gazas assiduè suo ostentat scrutatori, seo du-*

*Mundus miraculorum plenus.*

*Terra.*

duloq; largiter subministrat colono? Luxuriant sanè campi, luxuriant montes, colles, valles & convalles, ac non sine stupore metalla, plantas, arbores, insecta, aliaq; innumera Thaumaturgi Divini parturiunt miracula. *Aqua.* Aqua venas terræ itinere longo pererrans, miris itidem superbit bonis ac donis. Quot enim genera piscium, quot discrimina arborum, quot species gemmarũ, corporumq; aliorum omnem humanæ mentis aciem ludentiũ, in mari, in fretis, in ostiis, in fluvijs, in fontibꝰ, in lacubus & paludibus generantur, formãtur, vagantur? *Aer.* Aer pariter nullis aquæ postponitur parasangis, sed stupendis suis omnem in modum gaudet tumetq; dotibus. Per hunc montes vallesq; miro aurium sonant resonantq; ludibrio. Per hunc vivimus, per hunc cernimus, per hunc audimus, per

hunc

*hunc loquimur ac munia quæq; perficimus. Quot quæso hîc species & simulacra, quotq; effluvia, Creatori notissima, creaturis imperscrutabilia, meant ac remeant? Quot hîc nubila, quot tonitrua, quot arcus, ventos, ignes, nives & grandines, prudentissima ac validissima plasmavit manus EXCELSI? Tandem & Cœlum, immensum illud immensi Dei theatrum, cum flosculis suis amœnissimis, ocellisq; lætissimis & jucundissimis, citra omnem dubij aleam tot continet miracula, quot habet lumina, quæ & ipsa tot miraculis quot radijs & viribus sunt referta. Adeò magnus est Dominus Deus noster, magnus non solùm in semet ipso, nec magnus saltem in magnis, sed & magnus ac gloriosus in minimis!*

Cœlum.

*Verum enim verò inter hæc miranda Dei opera unum attentiùs*

*contemplari, & rationis trutinâ exactiùs ponderare, est animus. Scilicet corpora Generationi & Corruptioni lege fatali obnoxia, non fecit solùm MANUS quæ cuncta fecit, sed & arte insigni immensaque sapientiâ à totali interitus labe & clade liberavit. Iis namq; verè mirandam potentiam sese multiplicandi, & quod in singulari substantiâ durabile non est divinâ formarum propagatione perpetuandi, communicavit. Inde etiamnum vivit frutex in frutice, brutum in bruto, homo in homine: neq; mori potest, quod vivam sui reliquit imaginem. Hoc opus illud est, quod eminere omniumq; aliorum admirationem longè superare gaudet, quodq; præ cæteris omnibus* Δημιουργὸν σοφώτατόν τε καὶ δυνατώτατον, *Opificem sapientissimum & potentissimum, digito monstrat & ostentat.*

*Admirandum generationis opus.*

*Hoc,*

*Hoc ſpeculum illud eſt, in quo Sapientia, Potentia, & Providentia Dei, ceu charagma Regis aut Principis in numiſmate, omnium oculos feriunt acriterq́ perſtringunt. Hoc monumentum illud eſt, quod omnes omnium ſeculorum Philoſophi ſummâ cum reverentiâ adiverunt, ac* τέχνῃ καὶ σοφίᾳ μεγίστῃ, *arte & ſapientiâ ſummâ, gravidum deprehenderunt, ſed maximam partem (quæ mentis humanæ eſſe ſolet cœcitas) tandem inſtar vulpeculæ à ciconiâ eluſæ abierunt. Viderunt enim è ſemine modico in terram matrem omnium quotannis, imò quotidiè, demiſſo, defoſſo, & depacto, herbas arboresque pullulare ac adoleſcere. Viderunt ſemen in terræ ſinu conditum, ac benignâ ſolis aerisq́ aurâ tepefactum & ſuſcitatum, primùm macerari, pòſt utrinq́ diſrumpi, hinc in plantam aut arborem pulcherrimam,*

*Generatio plantarum & arborum.*

*mento è terræ visceribus magnâ arte & industriâ attracto, adaptato, inq; partes speciei cuivis debitas, dispositione spectabili, ordine mirabili, & varietate delectabili, formari ac transformari. Viderunt in hac arborum formatione infernè in terram radices spargi, easq; soliditate tantâ infigi & adglutinari, ut parvo temporis spatio elapso vi etiam validâ vix evelli & dimoveri queant: sursum verò stipitem ac truncum mitti, & externè cortice, velut indumento, adversus frigoris æstusq; injurias, vestiri; internè autem medullâ & venis cùm majoribus tùm minoribus, mirabili ordine ab invicem distinctis, totiq; corpori nutrimentum largientibus, donari ac dotari. Viderunt arboribus jam formatis in supremâ earum parte folia, flores & fructus, in quibus vicissim venarum series stu-*

*stupenda, in quibus & eadem figura, eadem lævitas & asperitas, eadem longitudo, latitudo, & profunditas, idem color, idem sapor, idem odor, eademq; omnium dignitatum & ornamentorum ratio ac conditio est, elegantißimè & sapientissimè fingi ac pingi. Sic & in animalium, inprimis perfectorum, generatione viderunt & perspexerunt, semina utriusq; sexus in uterum deponi, & ex illâ vilißimâ ac penitus deformi, fœtidißimâ ac vix nominandâ substantiâ, quam absq; abominatione nemo conspicit (ut rectè* Titelmannus *loquitur) egregium membrorum egregiorum apparatum, observatis ubiq; numero, pondere, & mensurâ, produci. Viderunt factâ statim conceptione varias concretiones, secretiones, densationes, rarefactiones & contractiones oriri, adeò, ut jam olim Se-*

Generatio animalium.

*nex*

*nex ille Divinus dictitare non dubitaverit*, ὁ γόνος ἐν ἑπτὰ ἡμέρῃσιν ἔχει ὁκόσα πέρ ἐστιν ἔχειν τοῦ σώματος, genitura ſeptimo die habet, quæcunq; corpus habere debet. *Viderunt ex materiâ illâ ſordidâ & fœtidâ oſſa, cartilagines, ligamenta, membranas, villos, venas, arterias, nervos, muſculos, glandulas, omnesq; & ſingulas, cùm Similares, tùm Diſsimilares, fingi particulas. Hæc, inquam, & ejuſmodi plura, viderunt, perſpexerunt, altiusq; penſitarunt, ſed Cauſam talia tentantem; Cauſam ſemina mutantem & transformantem; Cauſam concretiones, diſcretiones & excretiones molientem ac moderantem; Cauſam nutrimentum conveniens convenienter attrahentem, adaptantem, & ex eo partium magnitudinem, numerum, figuram, colorem, odorem, & ſexcenta alia, producentem;*

*Cauſa Generationis inventu difficillima.*

*tem; Causam materiam illam sordidam & deformem disponentem, formantem, expolientem & adornantem, totumq́ Generationis ac Formationis opus non sine successu prosperiore agentem & peragentem, pari facilitate ac felicitate videre nequiverunt.*

Felix qui potuit rerum cognoscere causam!

*Galenus, felicissimus aliàs tenebrarum mentis humanæ propulsator, summam in Causâ hac investigandâ & perscrutandâ fatetur industriam, sæpiusq́ se investigasse secum ait, an* τινὰ λόγον ἰσχυρὸν ἐπὶ ταῖς τῶν ζώων κατασκευαῖς, *an prægnantem aliquam rationem de viventium structura, invenire potuerit, sed nullam invenisse, &* ὐδ' ἄχρι τοῦ πιθανοῦ, *non usq́ ad probabile quid, pervenire potuisse, indeq́ magna tristitia affectum fuisse: rogat ergò omnes seculi sui Philosophos,* εἴ τι σοφὸν εὑρίσ-

*Galeni labor frustraneus.*

*εὑρίσκοιεν, si quid veri invenerint, id sine invidiâ secum communicent. Si selectum sic torquetur ingenium; quid humili ac plebeiae accidat animulae? Hinc multi alij eandem Causam eodem nisu & fervore rimari ac scrutari allaborarunt, saepiusq; anxiè de Generationis & Formationis Autore, an* Deus *sit, an* Natura, *an* Cœlum, *an* Anima, *an calor, an* spiritus, *an* humor, *an* facultas seminis, *an aliud quid quaesiverunt, sed nihil aut parum solidi invenerunt. Inprimis autem famosa aliquando in Scholis, & pro Aristotelicâ vendita fuit, Scholasticorum de Eductione formarum è potentia materiae opinio, quae tamen à nullo ita explicari & demonstrari potuit, ut vel intelligi, vel mentem veritatis avidam satiare, valuerit. Semper enim mens cogi nescia scire desiderat, quamnam Causam*

*Eductio formarũ è potentiâ materiâ introducta.*

ſam Efficientem, Principalem & Proximam forma illa, quæ è potentiâ materiæ educta dicitur, agnoſcat? Non ſanè Materiam; quia hæc nō agit, ſed ſaltem ſubijcitur ac patitur, planeq; impoſſibile eſt Principium Paſſivum Cauſam Efficientem Principij Activi evadere poſſe. Nec etiam Materiæ potentiam; quia ut Materia principium paſſivum, ita & materiæ potentia paſſiva, nō activa, eſt. Nec calorem, aut alias qualitates; quia accidentia ut id, quod ſunt, beneficio ſubſtantiarum ſunt, ita & id, quod operantur, ſubſtantijs acceptum referunt. Nec Cœlum, Solem, aut reliquas Stellas; quia Cauſæ hæ Remotæ & Univerſales ſunt: at effectu particulari dato, etiam cauſa particularis & Proxima danda eſt. Atq; ſic Eductio illa formarum è potentiâ materiæ cum effectum particularem

Eductio formarum è potentiâ materiæ rejecta.

ponat,

*ponat, causam verò istius Efficientem, Proximam ac Principalem, ponere nequeat, rei haud satisfacit. Sic & novisse animus veri cupidus attentat, an è Primæ, an è Secundæ materiæ potentia, formæ illæ educantur? Non sanè è Primæ potentia educi queunt, quia ex hac, juxta propria Scholasticorum principia, nulla fit forma: est enim universalis, illimitata, & indifferens. Nec è Secundæ; quia secunda hæc materia Scholasticis corpus est. Jam si corpus est, jam antè formam habet, quæ forma unde quæso? Sic & audire avet animus potentiã illam mirans & rimans, an ea mutetur in formam an verò forma fiat è nihilo? E nihilo formam fieri non posse Eductionis Defensores cõstanter asserunt. Potentiam autem in formam mutari nemini naturam & essentiam istius altiùs pensitanti*

*pre-*

*probabile videbitur. De potentiâ enim eâ Scholastici fermè non aliter ac de accidente loquuntur & sentiunt, unde eam dispositionem & temperiem vocare non erubescunt: at accidens in substantiam mutari nequit. Si verò potentia hæc accidens non est, sed ipsa Materiæ Primæ substantia, ut aliquibus haud displicet, quæso quî fit, quod Materia Prima, quæ aliàs immutabilis statuitur, non mutetur tantùm, sed & in principium sibi contradistinctissimum transformetur? Sin autem potentia hæc Modus est, quomodo Modus, qui juxta Aristotelicam Philosophiam ad Entis species planè non spectat, & nec pati, nec agere potest, in formam, substantiam nobilissimam & actuosissimam, mutabitur? Hæc sanè, & similia, rationum pondera, animum nec terminis, nec con-*

*jecturis, nec autoritatibus fidentem, sed unicè* Λόγον καὶ Πεῖραν, *Rationem & Experientiam, quærentem ac inquirentem, ab illâ formarum Eductione retrahere queunt, nisu validissimo, felicissimo. Hinc factum, ut nunquam Aristotelici omnes à seipsis impetrare valuerint, ut Opinioni isti suum tradiderint calculum, sed jam olim* Themistius, *Vir & autoritate, & sapientia, & judicio maximus, animam ipsam statim in seminibus præsentem domicilii sui architectam, & omnium dispositionum, concretionum, secretionum, excretionum, accretionū, cæterorumq́, Causam esse; non autem eam domicilio isto rectè à nescio quonam disposito & elaborato demùm è potentiâ materiæ adventare, monstravit & demonstravit.*

*Sententia Themistij, de formis in seminibus actu existentibus.*

*Sententia Scaligeri de formis*

*J. C.* Scaliger *etiam, Vir omni laude major & omni invidiâ potior, cujus acu-*

*acumen & breve ac ſubtile dicendi docendiq́; genius mirantur omnes, imitantur pauci, illam materiæ potentiam ſatis examinavit, exagitavit & refutavit, argumentaq́; quæ trepidationem in animis Philoſophorum (ut loquitur) excitarunt, feliciter & ſubtiliter diſcuſſit, & vel ſolus glaciem egregiè fregit* *Hinc &* Excellentiſs. & Experientiſs. Dn. D. Sennertus, *cum illam Themiſtii & Scaligeri ſententiam cum veritate, cujus ſemper amantisſimus fuit, congruere, & in iſto ipſius Jehovæ mandato,* Creſcite & multiplicamini, *fundari, contrà, alteram Scholaſticorum opinionem inexplicabilem, & nec Rationi, nec Experientiæ, nec S. Scripturæ, conſentaneam eſſe animadverteret, eam Anno Chriſti 1599. in* Epit. Phyſ. *primùm proponere, dein Anno 1607. in quadam* Diſputatione Publicâ *hic*

*in ſeminibus actu exiſtentibus.*

*Sententia Sennerti de formis in ſeminibus actu exiſtentibus.*

*VVittebergæ habitâ repetere, post etiam Anno 1609.* Libello Quæstionum Medicarum, *quin & Anno 1611.* Institutionibus Medicis, *nec non Anno 1619.* Tractatui de Chym. cum Aristot. & Galen. Conf. ac Diff. *inserere, nullus dubitavit. Placuit factum hoc multis Doctissimis Viris, unde (ut silẽtio premam cæteros) à* Clariss. Dn. Henrico Petræo, Phil. & Med. D. & Prof. P. in Academiâ Marburgensi, *hæc ipsa sententia publicè in subsidium (ut titulus Disputationis habet) infucatæ veritatis, ad incorruptam judicij trutinam liberè pensiculandam, proposita, exposita, & suscepta fuit. Ubi non saltem omnes* Clariss. & Excellentiss. Dn. Sennerti *rationes repetuntur & ex asse retinentur, sed etiam ipse Dn.* Sennertus *ob industriam suam singularem nominatim deprædicatur, ita ut cum eo se malle (sunt verba Dn.*

*Sententia Petræi de formis in seminibus actu existentibus.*

Dn. Petræi) *illucescenti veritati votivam hederam suspendere, & Creatoris bonitati ac sapientiæ hymnum canere, quàm cum turbulentâ multitudinis turbâ in antiquo errore volutari, candido ac ingenuo laudatus Autor fateatur animo. Clariß. Dn.* Caspar Hofmannus *etiam, Medicinæ in Acad. Altorfina Professor Celeberrimus, Vir in Aristotele versatissimus, illam de Eductione formarum opinionem, nec Aristotelicam, nec vero congruam, sed frustrà ab otiosis Scholasticis excogitatam esse, fusè demonstrat, & rationes quibus eam Conimbricenses, Petrus Fonseca, Franciscus Suarez, Antonius Ruvio, Benedictus Pererius, Franciscus Vicomercatus, Fridericus Pendasius, & qui hos sequuntur, propugnant, satis examinat & confutat. Nuper saltem* D. Johannes Freitagius, *Medici-*

*Sententia Hofmanni de formis in seminibus actu existentibus.*

*Ausum Freitagij.*

*næ in Academiâ Groningensi Professor, in quibusdam Disputationibus Publicis, eâ nempè, quæ est de* Morbis totius Substantiæ, *illâ, quæ est de* Calido Innato, *& istâ, quæ est de* Origine formarum, *Dn. Sennerto sese opponere, eductionem formarum iterum propugnare, traducemq́; seu realem formarum in seminibus præsentiam impugnare, omni conamine tentavit. Ubi quidem si candidè, methodicè, perspicuè, modestè, & in veritatis subsidium ac falsitatis excidium id fecisset, non exiguam gratiam promeritus fuisset, dum magnalia Dei uberius considerandi & explicandi, illa quæ forsan obscurè aut etiam ambiguè dicta fuerunt, dilucidandi, ista, quæ omissa vel etiam quasi omissa erant, fideliter addendi, aut alio pacto Studiosæ Juventuti & cunctis veritatis amatoribus inserviendi, an-*

*sam*

*ſam præbuiſſet optatiſsimam. Verùm (dicam quod res eſt) absq; candore, absq; methodo, absq; perſpicuitate, absq; modeſtiâ, & absq; veritatis amore, merâ motus invidiâ, ſaltem Senem noſtrum Venerandum noxio linguæ ſuæ telo defigere allaboravit. Ob ea enim, quæ nec primus, nec ſolus propoſuit* Dn. Sennertus, *in famam ejus mirum dirumq; in modum debacchatur, ſæpiusq; acerbum iſtorum, quæ non intelligit, ſe præbet Judicem atque Cenſorem, menteq; iratâ condemnat, quod ne per tranſennam quidem aſpexit, ac cum egregiè ſibi ſapere videtur, talia profert, quæ vel tyrones ac idiotæ refutare valerent. Etſi verò hîc* Clariſs. Dn. Sennerto *facile fuiſſet, non fimbriam aut calcem, ſed jugulum hujus ſui Antagoniſtæ petere: tamen per leviora hæc aliis magis arduis, ma-*

*gis necessariis, & magis etiam proficuis, tempus subtrahere, & quæ sub manibus absolvenda habet, deponere, operæ pretium non putavit. Ne verò marmorea aut adamantina esse, quæ vix ficulnea & straminea sunt, sibi imaginetur D.* Freitagius, *ob Reverentiam Præceptori meò debitam, nec non ob convenientiam, quam materiæ istæ cum Studio, Professione, & Exercitiis meis cùm Publicis tùm Privatis habent, è minimis minimus ego ante menses paucos Disputationem de* Morbis Totius Substantiæ *examinavi & refutavi; quo acto peractoq; etiam illam de* Origine Formarum *cum Ratione & Experientiâ conferre non dubitavi, breviq; istam quoq; de* Calido Innato *pari calore candoreq; aggredi & σὺν θεῷ enervare constitui.*

*Tracta-*

*Tractatum autem præsentem, qui est de Origine Formarum, materiâ nobilissimâ & abstrusissimâ, Vestr. Generosit. Nobil. & Magnif.* Summi & Eminentissimi Viri, Patroni & Mecœnates æternùm Venerandi, *humilimè offerre non sine immenso rationum pondere decrevi. Si enim non absq; Magnorum Virorum patrociniis publicæ committuntur luci labores aliorum, certè vel maximè hic meus qualis-qualis conatus ob invidorum ac lividorum morsus omnem in modum Patronos desiderat, efflagitat. Et si ingrato nomine terra pejus nil creat, gratitudinis ergò non saltem hoc quicquid est literarum, sed & me totum Vestris Magnificentiis mancipandum esse facilè deprehendo. Magnū enim est, quod nomine Serenissimi & Illustrissimi Principis ac Domini,*

*Tractatus oblatio.*

*mini, Dn. JOHANNIS GEORGII, ELECTORIS SAXONIÆ &c. Domini nostri Clementissimi, Generosit. Nobilit. & Magnificent. Vestræ, mihi minimo & indigno, Professionem Physicam in Celeberrimâ hac VVittebergensi Academiâ, committere non dubitarint. Haud equidem me dignor tali honore, sed verè ac sincerè me minorem tanto favore, tantâq; promotione judico & pronuntio. Cum tamen eundum, quò fata trahunt, DEO meo confidens, nobilem hanc Spartam grato accepto pectore, ac pietatem erga Deum, reverentiam erga Promotores, industriam, candorem ac veritatis amorem in Officio, promitto atque polliceor. Quod superest, agite* Viri Magnifici, *vile & exile hoc scriptum fronte serenâ suscipite, mihi*

*studiis*

*studiisq; meis favete, labores à me exantlatos porroq; exantlandos benevolè sublevate, & ad alia politiora sub Vestro splendido nomine & justissimo patrocinio in lucem emittendi calcar sacrum mihi admovete. Sunt quidem, fateor, quædam in hoc meo Tractatu à communi sententiâ non parum diversa, verùm à Ratione & Experientiâ, addo & S. Scripturâ, diversa cum non sint, in Dei gloriam & Reipublicæ literariæ emolumentum ea publicare cur erubescerem? Finis & Docentium & Discentium Veritas est, cui soli (& non in verba Magistri) jurare, pium, candidum ac cordatum decet Disputatorem. DEUS Opt. Max. Vos, Inclutæ Domus Saxonicæ columnas, diutissimè vigentes florentesq; conservet, ad nominis sui gloriam,*

Eccle-

*Ecclesiæ pressæ tutelam, omniumq; bonorum emolumentum, recreamentum.*

*Dab. VVitteberg. die 20. Febr. Anno 1634.*

Vestr.
Generosit.
Nobilit. &
Magnificent.

*Observantiss.*

M. JOHANNES Sperling/
Physicæ Professor
Publ.



DEO

*Duce & Auspice.*

# Præfatio ad Lectorem.

*INclutam famam gloriamq́; perennem Herculeum Virorum qui miranda Dei mirandi opera altiùs mirari rimariq́; & præ cæteris quod pectus exaturet scriptis mandare, voluêre ac valuêre, mereri laborem, nemo cordatorum ibit inficias. Cujusvis enim non est Naturæ penetralia adire, & quid in Cœlo, aere, terrâ, undisq́; geratur perspicere, cursusq́; siderum, raptus grandinum, formas nivium, facies metallorum, horrea formicarum, retia aranearum, partus & pastus insectorum, sexcentaq́; alia, pensiculare. Latitat sanè in imâ putei profunditate Veritas, & à paucis extrahi gaudet, cumq́; optimè videtur extracta, vix misella est Opinio. Quos inter Viros Magnos, qui opera Domini*

Nocturnâ versantq́; manu, versantq́; diurnâ,

*quorumq́; facta egregia fructum postulant veram*

*veram & immortalem gloriam, quum SENNERTUM nostrum esse, nemo cœcæ expers invidiæ inficias ire ausit, pro famâ, gloriâ, & autoritate tanti Viri, ego minimus omnium Tractatum exiguum contra* D. Johannem Freitagium, *sententias ejus de nobilissimis Quæstionibus Physicis & Medicis temerè impugnantem, exarare & volui & debui. Quid enim non deberemus illis, à quibus præclarè sumus instituti?* Nemo nostrûm est liberaliter educatus, cui non educatores, cui non magistri sui atque doctores, cui non locus ille mutus, ubi ipse altus aut doctus est, cum gratâ recordatione in mente versetur, *graviter ait ille Romanæ Eloquentiæ Parens. Proponere ergò & θέσιν & ἀντίθεσιν cum ἐκθέσει, adeoq; totam illam Adversarij Disputationem ordine refutare, aggredior. Quod ut fiat feliciter, faxis, ô faxis! ÆTERNE DEUS, cujus Sapientiâ, Potentiâ, & Providentiâ, totus personat orbis: à TE enim, & ad TE, & in TE, & per TE, sunt omnia, & TU supra omnia.*

Σὺν Θεῷ.

# THESIS PRIMA.

## *De origine formarum in genere nil definiri potest.*

Ἔκθεσις.

INsignem formarum esse varietatem, nec illi etiam, qui vel per transennam saltem Mundi adspexit theatrum, & monumenta inspexit doctorum, quit esse ignotum. Quot enim species Mundi, tot formæ. Imò ab omnibus etiam speciebꝰ unam, primam, communem, & genericam, abstrahendam esse, non sine rationibus speciosis docere satagunt multi. Hinc sanè formarum ratio & veritas angustis coërceri nequit cancellis. Ordinis ergò eas, quantum ad præsens spectant negotiũ, contrahere, remq; tribus *Notis* & tandem *Conclusione* expeditam dare conabor. Sit ergò *Formarũ varietas.*

## NOTA PRIMA.

### *Formæ & Primæ & Secundæ fit mentio apud Autores probatos.*

*Forma Prima quid sit.*

Prima est, *conceptus genericus, communis, & universalis, in omnibus corporis naturalis speciebus & individuis fundatus & radicatus.* Ac de hac directè in Parte Generali Physicæ agi dictitant, siquidẽ ibi non de formâ Cœli, non de formis Stellarum, non de formis Elementorum, Mistorum, Metallorum, Plantarum, Brutorum, aut Hominis, sed de formâ ab omnibus hiscè abstractâ, seu quod idem est, de formâ primâ, universali, & genericâ, res sit. Secunda est, *quæ ad certam corporis naturalis speciem spectat.* Quales sunt, forma hominis, forma canis, equi, salicis, abietis, tiliæ &c. Et de his formis directè in Speciali Physicæ Parte agendum.

*Forma Secunda quid sit.*

## NOTA SECUNDA.

### *Formæ Secundæ aliæ sunt corporũ Corruptibilium, aliæ Incorruptibilium.*

*Forma corporum Incorruptibilium.*

Cum enim quædam corpora naturalia perpetuò unâ eâdemq; gaudeant facie, de quibus ita Manilius canit:

Non

Non aliam videre patres, aliamvé
nepotes
Adspicient;

quædam verò mutentur, corrumpantur, omnique constantiæ & ἀφθαρσίας palmâ defraudentur: formarum etiam istorum corporum aliam atque aliam esse rationem, nisi cœlum miscere mari & mare cœlo velimus, fateri necessum habemus.

*Formæ corporum Corruptibilium.*

## Nota Tertia.

### *Formæ corporum Corruptibilium aliæ sunt Specificæ, aliæ Subordinatæ, aliæ Accidentariæ, aliæ Partiales.*

Specificæ sunt, *quæ materiæ actum ultimum & specificum largiuntur; certamq; Mundi speciem constituunt.* De his intelligendum illud: Datâ formâ, dantur tria: 1. *Esse.* 2. *Distingui.* 3. *Operari.* Tales formæ sunt, anima hominis, anima canis, anima quercus, forma auri, forma Solis &c. Subordinatæ sunt .*quæ certis speciebus corporum naturalium insunt, & sub Specificæ formæ dominio latitant, factâ verò ἀνομαλίᾳ, dominioq; quasi excusso, ad officium formale se accingunt, sibiq; idoneum domicilium extruunt.* Sic certa prodeunt

*Formæ Specificæ quid sint.*

*Formæ Subordinatæ quid sint.*

animalia ex cadavere leonis, certa ex cadavere tauri, certa ex cadavere equi, certa è cæteris. Hinc *D. Wolfg. Franz. in Hist. An. Sacra* p.m. 843. ait: *Ubivis locorũ generantur vermiculi, in frondibus arborũ, in foliis herbarum, in lignis, in arboribus, in vestibus, in libris. Nec possunt numerari omnes species vermium in foliis & arboribus, quia sunt peculiares in pyro, in malo, in ficu, in mespilo &c.* Et *Dn. D. Sennertus in Libr. de Chym. cum Gal. & Arist. Cons. & Diss cap. 12.* rem totam uberius non absque insigni animi veritatis avidi recreamento & emolumento proponit & exponit. Accidentariæ sunt, *quæ per accidens corporibus naturalibus nonnunquam ad tempus insunt.* Dicuntur ergò ita, non *ratione sui*, sed *ratione corporis*, cui accidental ter insunt. Tales inprimis sunt, quæ cum cibo & potu assumuntur, nec tamen in corporis substantiam vertuntur, unde pro varietate cibi & potus, magna etiam est harum formarum varietas. Elegans exemplum habemus in Dn. *Sennerti Cons. & Diss. cap 12. p. m. 204.* ubi sic legimus: *Alatur capra herbis quibusdam purgantibus; lac capræ illius bibat nutrix, fiet ut infans, qui lac sugit à nutrice,*

*Formæ Accidentariæ quid sint.*

*trice inde purgetur. Ubi primò in ventriculo capræ herbæ illæ mutantur in chylum; ex chylo fit sanguis in hepate; ex sanguine in mammis lac; lac hoc ubi nutrix bibit, rursum fit ex lacte in ventriculo nutricis, chylus; ex chylo sanguis; ex sanguine lac; lac hoc sugit infans & purgatur. Atque ita vis purgatrix cum suo proprio subjecto & spiritu, in tot mutationibus integra & incorrupta manet.* Hîc sanè forma illa, quæ principalis purgationis est causa, accidentaria est respectu ventriculi capræ, epatis capræ, & mammarum capræ; accidentaria etiam est, respectu ventriculi nutricis, epatis nutricis, & mammarum nutricis; accidentaria iterum est, respectu ventriculi totiusq; corporis infantis. Partiales sunt, *quæ certam partem integrantem corporis humani, vel alterius animalis, constituunt.* Sic aliam formam habet ventriculus, aliam epar, aliam cor, aliam lien, aliam testes, aliam mammæ, aliam partes aliæ. Diversitas enim operationum diversitatem indicat formarum. Et caro quæ in macello venditur, licet animâ tanquam Specificâ Formâ destituta sit, non minus caro dicenda venit, quàm quæ pars corporis viventis

*Formæ Partiales quid sint.*

 ventis

ventis est: & hoc sine propriâ carnis formâ fieri, probabile non est.

## Conclusio.

*Ob insignem ergò formarum varietatem, de illarum origine in genere nil definiri potest.*

Non enim indifferenter de his pronunciari valet, quod educantur, aut quod traducantur, vel etiam quod creentur. Esto exemplum. Forma Solis, canis, & vermiculi, educunturné, an traducuntur, num creantur? In genere sanè nil respondendum. Ita ergò argumentamur: *Quarumcunq; rerum, & respectu ortus, & respectu essentiæ, & respectu affectionum, insignis est varietas, de illarum origine in genere nil definiendum. Formarum, & respectu ortus, & respectu essentiæ, & respectu affectionum, insignis est varietas. Ergò de formarum origine in genere nil definiendum.* Major patet, quia ob varietatem ortus, essentiæ & affectionum, variant etiam assertiones de origine. Minor sat probata fuit. Et dubio procul accuratum Naturæ indagatorem Usus & Experientia plura formarum

*De Formarũ origine ingenere nil definiendum.*

marum docebunt genera. Nil enim in totâ rerum Naturâ magis absconditum quàm formæ, quas cum invenisse gloriamur, vix misellum est accidens.

*Des nobis formas, & Phyllida solus habeto.*

## THESIS SECUNDA.

### *Forma Prima nec educitur, nec inducitur, nec traducitur, nec creatur.*

Ἔκθεσις.

Scilicet ea forma, quæ alterum corporis naturalis principium est, & in parte Generali Physicæ, ubi nec de Cœli, nec de Aeris, nec de Ignis, nec de alterius speciei formâ, solliciti sumus, directè pensitatur, non è potentiâ materiæ educitur, non in materiam inducitur, non cum materiâ traducitur, non etiam creatur. Est enim ens Universale, & per consequens nec ortum, nec interitum habet: nam oriri & interire singularium est, non universalium. Tale ergò formo argumentum: *Quæcunque forma ens universale est, ea nec educitur, nec inducitur, nec traducitur, nec creatur. Forma Prima ens universale est. Ergò Forma Prima nec educitur, nec inducitur, nec traducitur, nec creatur.*

*Forma Prima nõ educitur, non inducitur, non traducitur, non creatur.*

Major probatur, quia oriri eſt ſingularium. Minor probatur, quia cum in genere de principiis Phyſicis diſputamus, non de certi individui, ſed de omnium individuorum & ſpecierum principiis diſſerimus. Hinc contra formarum traductionem inſurgere non licet: *Nullum principium generatur & traducitur. Forma eſt principium. Ergò forma non generatur & traducitur.* Major probatur, quia principia ſunt æterna & immota. Quaſi verò non idem regeri poſſet, contra formarum eductionem: *Nullum principium educitur Forma eſt principium. Ergò forma non educitur.*

## Thesis Tertia.

### *Formæ corporum Incorruptibilium nec educuntur, nec inducuntur, nec traducuntur, ſed originem ſuam creationi debent.*

*Formæ corporum Incorruptibilium non educuntur, nō inducuntur, non traducũtur.*

Ἔκϑεσις.

Corpora Corruptibilia ſunt, *quæ mutabilem ac defectibilem entitatem habent.* Seu: *quæ ab eſſe ad non eſſe tranſire ſolent.* Incorruptibilia ſunt, *quorum entitas eſt immutabilis ac indefectibilis.* Seu: *quæ ab*

*esse a d non esse non transeunt.* Hæc ergò Incorruptibilia corpora formas suas quas in creatione semel receperunt hucusq; retinuerunt, retinebuntq; tandiu quandiu esse suum retinebit hoc Universum. Quærenti ergò, *quænam sit origo formæ Solis, quænam formæ Lunæ, & quænam formæ Cæli;* respondemus, *Creatio.* Deus enim ut non sine materiâ, ita nec sine formâ, corpora illa produxit, quæ, cùm sint incorruptibilia, formam quam semel acceperunt, hucusq; retinuerunt. Argumentor igitur hoc pacto: *Quæcunq; corpora non generatione, sed creatione, suum esse acceperunt, illorum formæ nec educuntur, nec inducuntur, nec traducuntur, sed creationi suam originem debent. Corpora Incorruptibilia non generatione, sed creatione, suum esse acceperunt. Ergò corporum Incorruptibilium formæ nec educuntur, nec inducuntur, nec traducuntur, sed creationi suam originem debent.* Mirum proinde est, quosdam etiam formas corporum cœlestium è materiæ potentiâ eductas somniare.

# THESIS QUARTA.

## *Formæ Specificæ corporum Corruptibilium nec educuntur, nec inducuntur, sed traducuntur.*

Ἔκθεσις.

*Status Controversiæ.*

Hæc illa Helena eſt, quâ de tanto certatur ardore inter ſolertiſſimos quosq́;, unde ſcilicet corporum naturalium, quæ fieri & interire, naſci & denaſci, cernimus, formæ ſuam habeant originem. Nempè, corpora nonnulla & φύσει & ἀνάγκῃ fatalia ſunt: ne ergò ſpecies aliqua intereat, Mundiq; ſat laudatam pulchritudinem deſtruat, Naturæ Rector & Director, inſigni ſapientiâ & induſtriâ generationis modo & medio durare & permanere fecit, quod in ſingulari ſuâ ſubſtantiâ perpetuari haud valuit. Vivit ergò planta in plantâ, brutum in bruto, homo in homine. De hiſcè igitur formis ad ſpecies Mundi ſpectantibus, jam eſt litigium, an *eductioni*, an *inductioni*, an *traductioni*, ſuam debeant originem. Turba Scholaſtica formas è potentiâ materiæ educi aſſerit.

rit. Quid autem ſit è materiæ potentiâ educi, omnem in modum explicare laborat, ſed labore verè irrito & fruſtraneo. Alij per potentiam intelligunt *Univerſalem* potentiam, quæ Materiæ Primæ eſſentialis ſit, & ad Prædicamentum Subſtantiæ reducenda veniat; alii potentiam *Particularem*, ſeu diſpoſitionem urgent, quæ accidentalis ſit, & ad Prædicamentum Qualitatis ſpectet; alii potentiam per *modum* explicant, & interrogati, quidnam ſit illa potentia ex quâ formæ ſeu fiant ſeu confiant, reſpondent, eam nec ſubſtantiam, nec accidens, ſed modum quendam eſſe; alii tentatis omnibus formam ex *privatione*, tanquam termino à quo, eſſe dictitant; alii aliis vel conditionibus vel deſcriptionibus, inexplicabilem illam materiæ potentiam dare ſatagunt explicatam. Omnes tandem in eo convenire videntur, eductionem formæ è potentiâ materiæ, nihil aliud eſſe, quàm productionem formæ ab agente naturali mediantibus diſpoſitionibus, ita ut quæ prius erat in cauſis, & eſſe potentiale tantùm habebat, pòſt ſit extra cauſas & eſſe actuale acquirat. Verùm hæc omnia

*Scholaſtici varii in explicandâ formarum eductione.*

omnia & ſingula quæſtionem de origine formarum dant irreſolutam, veritatemq́; ex Orphei Orco & Democriti puteo extrahere neſciunt. Adeò in rerum naturalium ſpeculatione cum vulpeculâ à ciconiâ eluſâ vas vitreum lambimus, pultemq́; haud attingimus! Ordinis & perſpicuitatis ergò ſit

## Concluſio Prima.

*Formæ Specificæ corporum Corruptibilium non educuntur.*

*Nam*

*Formæ Specificæ non educuntur ex potentiâ Univerſali.*

I. Si educuntur ex potentiâ *Univerſali*, quî fit quod univerſalis hæc potentia, quæ ad omnes formas æqualiter & indifferenter dirigitur, per certam & ſpecificam formam actuetur? Nempè, quî fit, quod idem Solis calor in uno prato, tempore eodem, diverſiſſimas creſcere facit plantas, videlicet millefolium, atriplicem, naſturtium, gramen marinum, acetoſam, & infinitas alias? Argumentor ergò: *Quæcunq; potentia eſt indifferens ad omnes formas, ex eâ nulla ſpecifica forma educitur. Materia potentia Univerſalis eſt indifferens ad omnes formas. Ergò ex materiæ potentia Univerſali nulla*

*nulla specifica forma educitur.* Major probatur, quia illa potentia non magis actuaretur per hanc, quàm per illam formam, nec magis per illam quàm per istam, aut per aliam. Dejici ergò de statu indifferentiæ & universalitatis debet, si specificâ actuanda est formâ. Deinde, si educuntur formæ specificæ è potentiâ Universali, mutaturne hæc potentia Universalis in formam, an venit illa è nihilo? Tertium hîc non datur, & tamen neutrum à Scholasticis conceditur, ne vel materiæ immutabilitas, vel rerum naturalium generatio (uti putant) tollatur. Ita igitur argumentor: *Quæcunq; potentia non mutatur in formā, sed se habet semel, ut semper, ex eâ nulla forma specifica educitur. Potentia Universalis non mutatur in formam, sed se habet semel, ut semper. Ergò ex potentiâ Universali nulla forma specifica educitur.* Major est clara. Minor probatur, quia potentia hæc est materiæ primæ essentialis, imò ipsa, ut loquuntur, materiæ primæ entitas, ergò mutari nequit.

*Formæ Specificæ non educuntur ex potentiâ Particulari.*

II. Si educuntur formæ ex potentiâ *Particulari*, eædem redeunt difficultates. Nam illa potentia, dispositio, & pro-

propenſio, vel mutabitur in formam; vel forma fiet è nihilo. E nihilo eam nõ fieri expreſsè docent, quia aliàs, ut ajunt, crearetur. In formam autem non mutari eam ſic probo: *Nullum accidens mutatur in ſubſtantiam. Potentia ſecunda & particularis eſt accidens. Ergò non mutatur in ſubſtantiam.* Major patet. Minor eſt Scholaſticorum. Pergo igitur: *Quicquid non mutatur in ſubſtantiam, id etiam non mutatur in formam. Potentia ſecunda & particularis non mutatur in ſubſtantiam. Ergò etiam non mutatur in formam.* Major conſtat, quia forma eſt ſubſtantia.

*Formæ Specificæ non educuntur è Modo.*

III. Si educuntur formæ ex tali materiæ potentiâ, quæ nec ſubſtantia, nec accidens, ſed *modus* eſt, iidem, ſi non majores labyrinthei occurrunt plexus, fruſtraque obſcuriſſima illa modorum ratio rei ex ſe intricatæ & obſcuræ labile & fragile fit κρησφύγετον. Nam 1. modus Scholaſticis non eſt ens, unde eum entis ſpeciebus contra diſtinguunt. Jam venitne forma ex eo quod ens non eſt? ἐντελέχεια ex illo quod ne ad ſpecies quidem ὄντος quadrare aſſeritur? Subſtãtia ſit nobilis & perfecta ex eo quod minus

minus & debilius est accidente? 2. Modus ille aut activè, aut passivè se habebit. Sed nec activè, nec passivè, quia modi nec agendi, nec patiendi principia sunt. Unde ergò formæ? 3. Modus iste vel *Substantialis*, vel *Accidentalis* erit. Si Substantialis, materiam afficiet, aut ad complementum ejus faciet, ad formam verò planè nullum respectum habebit; sin Accidentalis, vel materiam accidentaliter afficiet, vel forma ad accidentia spectabit. 4. Si *Descriptiones* potentiæ è quâ formas venire asserunt, cum modorum ratione hactenus tritâ & receptâ, conferendæ essent, immensum discrimen modi & potentiæ illius facilè patesceret. Sed transeant. Argumentor: *Quicquid 1. quoad entitatem minus est accidente. 2. nec activè, nec passivè se habet. 3. in divisivas rationes contractum, applicari nequit: ex eo non veniunt specificæ corporum naturalium formæ. Modus 1. quoad entitatem minor est accidente. 2. nec activè, nec passivè se habet. 3. in divisivas rationes contractus, applicari nequit. Ergò ex modo non veniunt specificæ corporum naturalium formæ.*

IV. Si

*Forma Specifica non educuntur è Privatione, ut termino à quo.*

IV. Si verò formæ educuntur è potentiâ & privatione, ut ex *termino à quo*, nescio sanè an ex eâ fiant ut pius ex impio, doctus ex indocto, sanus ex ægroto, & dies ex nocte; an verò in re maximè seriâ ludatur. Argumentor: *Quicunq; quærenti, unde quis factus fuerit doctus unde pius, unde modestus & unde dives; respondet, doctus ex indocto, pius ex impio modestus ex immodesto, & dives è paupere: is vel ludit vel parùm sapit. Quicunq; quærenti unde veniant formæ; respondet ex potentiâ & privatione, ut ex termino à quo: is quærenti, unde quis factus fuerit doctus, unde pius, unde modestus, & unde dives, respondet doctus ex indocto pius ex impio, modestus ex immodesto dives è paupere. Ergò qui quærenti, unde veniant formæ; respondet, ex potentiâ & privatione, ut ex termino à quo: is vel ludit, vel parum sapit.* Majorem nemo sanus negabit. Minor patet, quia de similibus idem judicium. Nec cogitandum, vitium esse in *formâ*, siquidem syllogismus est in primâ figurâ, & in modo Darii. Neque obstat vocabulorum multitudo, quia non numerandæ voces, sed tres termini, qui periphrasin non abnuunt.

# Conclusio Secunda.

*Formæ Specificæ corporum Corruptibilium non inducuntur.*

Inductio formarum quæ hîc negatur illa est, quâ è cœlo & astris formam in materiam rectè præparatam, naturali & inevitabili necessitate, invehi & inseri nonnulli defendunt. Quibus præclarè respondet *Excellentiss. & Experientiss. Dn. Sennertus in Cons. & Diss. cap. 9. p. m. 92.* his verbis: *Licet superiorum & inferiorum consensum lubenter admittimus, nec negamus, inferiora hæc à superioribus gubernari & foveri: tamen hinc non sequitur, quod rebus naturalibus omnibus vires & formæ à cœlo imprimantur. Rerum ortus promovet, ac res ortas fovet cœlum, & causa remota, communis, externa, & administrans generationum est, non rebus oriundis species largitur. Sed cum ipsimet, qui hanc opinionem sequuntur, necesse fateri habeăt, Deum Opt. Max. cum stirpes & animalia crearet, ea divinis viribus & suis quæq; fœcundisq; seminibus implevisse, imò Deum omnes herbas ac arbores & omnia vegetabilia ante stellas creasse, atq; ita omnia vegetabilia semina sua fœcunda, antequam astra condita essent,*

*Formæ Specificæ non inducuntur.*

*essent, obtinuisse: quomodo negare possunt eodem ejusdem Creatoris jussu per semina illa sese propagare? Et si possunt, ac stirpes & animalia fœcunda semina, quibus se propagant, obtinent: quorsum à cœlo formas, quæ seminibus jam insunt, petere opus est? Et si omnes formæ à Cœlo defluerent, nulla in hiscè inferioribus esset univoca generatio; sed & stirpes & animalia cœli tantùm soboles essent.* E quibus verbis sequentes nectimus Syllogismos: I. *Omnis effectus particularis & determinatus particularem etiàm, determinatam & proximam postulat causam. Formæ specificæ corporum corruptibilium sunt effectus particulares & determinati. Ergò particularem etiam, determinatam & proximam postulant causam.* Major probatur, quia speciei determinationem non largitur Causa universalis, sed particularis. Minor facilè patet exemplis formæ caninæ, equinæ, leoninæ, asininæ &c. Hinc pergo: *Quicquid particularem, determinatam, & proximā causam postulat, illud à cœlo & astris, universali, generali, indifferenti & communi influxū gaudentibus, non inducitur. Formæ specificæ corporum corruptibilium particularem, determinatam, & proximam causam postulat.*

*Argum. I.*

*Ergò*

*Ergò à cœlo & astris, universali, generali, indifferenti, & communi influxu gaudentibus, non inducuntur.* II. *Quicquid jussu divino potestatem & vires sese multiplicandi & propagandi recepit, illius genitum formam suam extrinsecus non accipit. Corpora corruptibilia jussu divino potestatem & vires sese multiplicandi & propagandi receperunt. Ergò corporum corruptibilium genita formas suas extrinsecus non accipiunt.* Major probatur, quia aliàs illa potestas, illæ vires virtutesq; , forent frustraneæ, otiosæ, & inutiles. Minor est clara. III. *Quicquid fœcunditatem suam ante Stellarum creationem habuit, illud à stellis formam suam non recipit. Herbæ, arbores, ac omnia vegetabilia, fæcunditatem suam ante Stellarum creationem habuerunt. Ergò à stellis formam suam non recipiunt.* Major probatur, quia fœcunditas illa nec in otio aliquo, nec in passione, sed in activæ potentiæ usurpatione, consistit. Minor est è *1. cap. Gen.* ubi legimus, tertio Creationis die, Deum jussisse terram germinare germen, herbam producentem semen, arborem fructiferam facientem fructum

*Argu. II*

*Argu. III*

 juxta

juxta speciem suam: Stellæ verò quarto demùm productæ fuêre die. IV.

*Argu. IV.*

*Quicquid omnem generationem Univocam tollit, id stare nequit. Sententia quâ formæ de Cœlo & astris induci statuuntur, omnem generationem univocam tollit. Ergò ea stare nequit.* Major est manifesta, quia unanimi consensu generatio univoca viget floretq;. Minor probatur, quia sic semper genitum generanti esset dissimile, & nec nomen, nec formam ejus participaret. Generans enim esset Sol, vel alia stella, vel ipsum etiam cœlum. A quo enim quid formam suam lege naturæ recipit, illius soboles est: genitum, canis nempè, leo, equus, tilia, quercus &c. formam suam lege naturæ à Sole & aliis stellis reciperent: ergò etiam stellarum soboles essent.

## Conclusio Tertia.

***Formæ Specificæ corporum Corruptibilium traducuntur.***

*Formæ Specificæ traducũtur.*

Eductionem & Inductionem qui negavit & refutavit, Traductionem facilè probabit. Tale enim est argumentum: *Quacunq; forma nec educitur, nec inducitur,*

*tur, illa traducitur. Formæ specificæ corporum corruptibilium nec educuntur, nec inducuntur. Ergò traducuntur.* Major sufficiens est, quartumq; membrum à nemine admittitur. Loquimur enim de rebus generandis. Minor hactenus probata fuit. Evidentiæ ergò argumento huic subnectimus aliud: *Quicquid facit alterum, quale ipsum, illud facto & genito suam communicat essentiam. Generans facit alterum quale ipsum. Ergò generans genito suam communicat essentiam.* Major est rata, quia per illud quale non quid accidentale, sed essentiale intelligitur. Minor est Aristotelis & Scholasticorum. Porrò: *Quicquid genito suam communicat essentiam, illud etiam isti suam communicat formam. Generans genito suam communicat essentiam. Ergò generans genito etiam suam communicat formam.* Major probatur, quia rerum naturalium essentia sine formà non est. Minor fuit Conclusio prioris Syllogismi. Jam quæritur, quando generans genito suam communicat formam? Tunc nempè quando generat, ita ut generationis actu peracto, etiam illa formæ communicatio peracta fuerit. Hinc gallus per-





fecto generationis actu poteſt mactari & comedi: planta factâ excretione ſeminis quit comburi: & ſæpè patres fato acerbo relinquunt poſthumum.

## THESIS QUINTA.

*Formæ Subordinatæ, Accidentariæ, & Partiales, quoad originem cum Specificis adeò exactè in omnibus non concordant, unde ſpecialiter explicandæ veniunt.*

Ἔκθεσις.

Formarum traductionem qui defendunt, ad ſpecies Mundi in generationis opere ferventes & laborantes reſpiciunt. Vident enim ſtimulos egregios laboresq; improbos metallorum, plantarum, brutorum & hominum, ſeſe propagare & multiplicare gaudentium. De his ergò quibus mediis & adminiculis ſperatum obtineant finem, quærunt & diſquirunt. Et cum Scholaſtici hîc ad Eductionem (ubi alii ſat cautè & prudenter animam rationalem excludunt, alij parùm ſobriè & Chriſtianè illam inclu-

includunt) confugiant; hi cum Themiſtio,Scaligero, & aliis, ad Traductionem ſe convertunt. Status ergò Controverſiæ formas ſpecificas, à corporibus naturalibus in opere generationis actuoſis & negotioſis, productas, tangit: de quibus dictum Theſi antecedente. Verùm cum præter illas aliæ adhuc ſeſe oſtentent formæ, etiam de iis curioſus eſt animus veritatis avidus. Facilè enim videmus, non eâ ratione quâ equi, canes, porci, cervi, capræ, boves & oves fiunt, etiam vermes in equis, canibus, porcis, cervis, capris, bovibus & ovibus fieri; nec quo modo medioque generantur columbæ, eo etiam è ſtercoribus columbarum vermiculos naſci. Varia namq; eſt Natura, quæ ubi ſe paululum oſtendit, mox in mille facies iterum ceu Protheus convertitur, & in minimis etiam ac viliſſimis omnē mētis humanæ aciē cogit obſtupeſcere & obmuteſcere. Quamvis ergò hîc in tantâ rerum varietate & obſcuritate τὸ ἐπέχειν prehendere, manumq; de tabulâ movere poſſemus, ne forſan *Iliacos intra muros peccetur & extra:* tamē nè planè videamur aſymboli, quid probabile &

verisimile sit, proferre tentabimus. In magnis laudanda voluntas. Sit igitur

## Conclusio Prima.

*Formæ Subordinatæ primùm cum ipsis Specificis fuerunt creatæ; & pòst unà cum specierum propagatione propagatæ, sine non nullo prædita.*

*Insecta an à Diabolo?*

Fuerunt olim qui erucas, papiliones, vermes, & similia animalcula, præsertim fruges, herbas, & arbores depopulantia, hominesq; vexantia, à Diabolo facta esse, & etiamnum fieri, putarunt. Sed his, exemplo de muscâ sumpto, bellè respondit *August. tract. 1. super Johan.* his verbis: *Si Diabolus facit muscas, tùm etiam facit apem, quæ paulò amplior est quàm musca, si apem, tùm etiam locustam, si locustam, tum etiam lacertam, si lacertam tum etiam avem si avem, tùm etiam ovem & bovem, quin & elephantem & hominem, & ita nec homo erit à Deo factus.* Nos ita argumentamur: *Nullum corpus naturale Diabolum agnoscit sui autorem. Erucæ, papiliones, vermes &c. sunt corpora naturalia. Ergò Diabolum non agnoscunt sui autorem.* Major probatur, quia duplex

est

est via corpora naturalia producendi: 1. *Via Creationis.* 2. *Via Generationis.* At Diabolus nec per creationem, nec per generationem, facit quicquam. Non per creationem, quia creare infinitæ virtutis, adeoq; proprium Dei, est: non per generationem, quia hæc in Angelum nullum cadit, nec si caderet ad res naturales se extenderet. Alij putant, formas istas suam habuisse, & etiamnum habere, originem, interdum ex pulveribus, interdum ex humoribus, maximam verò partem ex putredine. Hinc varia numerant subjecta, è quibus ista prodeant animalcula: aut enim, inquiunt, ex rore in frondibus veniunt; aut ex lignis sive viridibus sive cæsis; aut ex foliis virentibus; aut ex fructibus, ut inter grana tritici aut hordei aut ex animalium excrementis, sive illa ejecta, sive adhuc in corporibus retenta fuerint, ut lumbrici; aut è fecibus aceti, aliorumq; liquorum; aut è cœno & fimo putrescente, ut in fimis & caseis & aquis putridis; aut ex nive vetustâ &c. Verùm respondet his ipsis *Dn. D. Wolfg. Franzius in Hist. Anim. Sacr. Tract. 4. c. 7. Sine dubio voluit Deus ordinem generationis*

*Insecta an è pulvere & putredine?*

*animalium esse certum, ne modò mus ex mure nasceretur, modò mus ex putredine gigneretur. Qua ratione generatio horum animalium perpetuo casui & æternæ incertitudini obnoxia redderetur. Sine dubio mens Dei in primâ creatione fuit, & adhuc hodiè est, ut generationis similium specierum non nisi ex similibus speciebus certißimâ & constantißimâ perpetuâq; regularitate continuaretur.* Et *Dn. D. Sennertus in Conf. & Diff. c. 12.* postquam recensuit, triticum degenerare in lolium, sysimbrium in mentham, rapum in raphanum, ocymũ in serpillum, vitem albam in nigram, nigram in albam, zeam in triticum, triticum in zeam; vermiculos sui generis nasci in caseis, scarabæos in fimo equino, cimices in lectis, gryllos in limo ad fornaces, pediculos & pulices in animalibus, lumbricos in intestinis animalium, blattas in vestimentis & pellibus &c. tandem concludit his verbis: *Seminalis vis ad certam speciem producendam requiritur. Putredo verò saltem calorem suppeditat, à quo vis seminalis excitatur.* Et *lib. 4. medic. pract. Tract. de Infant. Curat. cap. 5. pag. 35.* inquit: *Putredo sola nullam speciem producere potest, & si quid omninò*

*adge-*

*ad generationem facit, non facit id quatenus putredo, sed quatenus cum eâ est calor quidam benignus, à quo vis seminalis excitatur. Præter qualitates enim primas occultum quid, & seminalis quædam vis in materiâ latet, quæ ad certam speciem producendam disposita est. Unde ex materiâ è quâ pediculi generantur, non pulices, non vermes fiunt, sed hæc animalis species: sicut in plantis idem fit, ubi è qualibet plantæ specie, dum corrumpitur, peculiaria animalia fiunt. De quo Scaliger Exerc. 59. scribit: Plantæ gignunt in se ipsis animalia, non putrefactione, sed quadam quasi semina foventes ad generationem. Et Exercit. 190. Animalia,* inquit, *non in plantis putridis, sed tanquam successivis operis soboles nascuntur &c.* E quibus sat patere puto duo: 1. Formas istas in & cum speciebus mundi à Deo fuisse creatas. Cum enim quercum fecit, non forsan unicam formam fecit; & cum equum formavit, nō unicam illam equi animā plasmavit; & cum immania cete omnipotente suo verbo elaboravit, non unam unius piscis animam ædificavit; sed egregia corpora, variis & infinitis fermè corpusculis, suis itidem formis constantibus, gaudentia, crea-

*Formæ Subordinatæ primùm à Deo creata.*

creavit, quæ demùm ἀνομαλία introductâ sese ostentant, suumq; alacri studio concelebrant Creatorem. 2. Formas illas in & cum speciebus mundi etiamnum propagari. Non enim materia prima est, quod in actu generationis excernit equus; non materia prima est, granum tritici aut hordei: sed multæ ibi prostant formæ, quoad nomen ignotæ, quoad effectum meridiano Sole notiores. A posteriori enim nostra est cognitio, nemoq; Solem laudaret, nisi lumen, calorem, & reliqua ejus bona & dona omnibus fermè sensibus & membris palparet & calcaret. Tertium restat, de formarum istarum, & consequenter animalculorū illorum *fine & usu*. Non sanè animalcula illa sunt fruges consumere nata, sed insigni *fine & Universali & Particulari* gaudent. Quoad Universalem, etiam hîc stat vigetq; illud: *Omnia à Deo, omnia ad Deum; Cuncta bonum quærunt, unde prodierunt*. Facta enim sunt ad annunciandam Dei gloriam, potentiam, sapientiam, & bonitatem. Aurea verba habet *Dn. Doct. Franzius in Histor. Anim. Tract. 4. cap. 7.* inquiens: *Pro Dei sapientiâ & gloriâ sunt*

*Formæ Subordinatæ unà cum speciebus propagantur.*

*Insectorū Finis Universalis.*

*sunt infecta, in quibus non modò colorum diversitates spectare, ita ut illas peritissimi pictores ad vivum satis exprimere nequeant, sed etiam animadvertere licebit, quod tanquam pavones pro variâ positione & obversione ad solis corpus, nunc hosce nunc alios de sese prabeant colores adeò ut qui nunc apparebat areus, mox inclinantibus sese paululum aureus sit appariturus, item qui sub sole erat caruleus, sub umbrâ erit viridis, qua res peritissimo Philosopho negotium explicandi reddere potest difficilimum, & hoc in muscâ volante speciatim observare solitus fuit & observare jubet Lucianus. Ecce quàm magnas res in vilibus hisce creaturis Creator nobis expendendas posuit.* Quoad finem *Particularem*, si hæreremus, nostra accusanda esset ignorantia, Dei verò non reticenda potentia. Qui pulicem hominis causâ creatum dicunt, ad ejus inutilem sugendum sanguinem, nugas spargunt, teste *Scaligero Exercit. 205. s. 1. Etiamne Chirurgos hoscè*, ait subtilitatum ille Magister l. d. *Muribus molita est Mater illa pia, architectatrix atq; dispensatrix. Quin eis quoq; præfecit Magistratum, à quo loris cæderentur illi: si benè acceptam, minus benè exercerent disciplinam?*

*An pulex creatus ad inutilem hominis sanguinẽ sugendũ?*

*nam*? Qui Cimicem factum, ut noctu ex importuno somno excitet nos ad preces Cœlitibus fundendas, aut Serpentem, ut nos excitet ad fortitudinẽ; somniant, ab eodem loco eodem ridentur & exploduntur egregiè. *Quis miserius*, ait, *aut infelicius ejus* (Naturæ) *opera interpretabitur, quàm qui ab eâ Cimicem allegatum dicet: ut noctu ex importuno somno excitet nos ad preces Cœlitibus fundendas. Sunt & larvata ingenia quædam, sibi ignava, aliis maligna: quæ jussu Dei, venena serpentibus comparata profiteantur: ut ea sint calcaria nobis ad fortitudinem, patientiam, temperantiam. Etenim si ita est, ne aggrediantur viperæ infantes, quibus nulla est in animis tuitio, in corporibus munimentũ. Non ipsas pecudes populentur Indici Dracones. Nulli enim in bruto pecore habitus morales. Quare non addiderunt febres, lapsus, luxationes, Indicam luem? Quæ istis omnia precanda sunt ut boni fiant. Hascè profectò utilitates cum incommodis Aristippi libenter equidem commutarim.* Rectius dicimus, eorum animalculorum nonnulla ex aëre, aquâ, & terrâ, venenosas qualitates educere, atque sic elemẽta purgare, ut totius mundi ju-

*An cimex factus, ut è somno nos excitet ad fundendas preces?*

*An serpẽs creatus, ut ad fortitudinem exercendam nos excitet?*

*Infectorũ Finis Particularis.*

di justus & purus sit status; alia majoribus animalib9, & consequenter ac mediatè etiam homini, cedere in alimenta; alia aliter ad hominem sua referre bona. *Etsi enim*, ait, *Dn. D. Franzius l. c. cap. 12. non omnia possunt comedi ab hominibus: tamen comeduntur ab aliis brutis, quæ bruta prosunt & famulantur hominibus.* Hæc de fine animalculorum. Si verò quæras de fine formarum latentium, & in corporibus adhuc salvis & integris degentium, dicimus facere illas cum suis materiis ad constitutionem corporis. Eguit tali corpore quercus, tali salix, tali equus, tali canis, tali leo &c. Hoc si non ad palatū, scias, nec lapidis, quem pedibus calcam9, specialem nos novisse usum, quid ergò mirum est, si in hiscè abstrusissimis aliqua se offerat mentis vel cæcitas, vel imbecillitas. *Formarū Subordinatarum Finis.*

## Conclusio Secunda.

*Formæ Accidentariæ quoad originem suam parum nobis facessere queunt negotij.*

Deferuntur enim in corpora, quorū respectu Accidentariæ dicuntur, unde quoad originem earum nil novi sese offert, *Formæ Accidentariæ quoad originem nihil novi habent.*

offert, ſed cum origine vel Specificarum, vel Subordinatarum, conveniunt Nam I. Ipſa animalcula hæc ſeſe interdum ſponte ſua in corpora alia inſinuant, & poſtmodùm de loco ad locum cum corporibus iſtis tranſportantur, cumq; ab hominibus animadvertuntur, illic generata fuiſſe putantur. Hinc *Dn. D. Franzius in Hiſt. Anim. tract. 4. c. 7.* ait: *In naves onerarias magnas ſimul importantur mures latitantes in mercibus, quos mercatores per benè longa tempora in ſuis ædibus prius collegerunt; Sic meminimus gryllos ex aliis oppidis translatos cum veſtibus peregrinantium in puriſsima aliorum hypocauſta. Et quis excogitare valeret omnes modos, quibus hæc parva, vel ipſa volatu, reptatione, curſuq; ſuo, loca quædam petunt, vel per alias beſtias & homines aliò tranſportantur.* Et quod de animalculis hiſcè verum eſt, id etiam de aliis corporibus naturalibus falſum non eſt. Sic experimur, & ſanè non ſine dolore experimur, infelix illud contagium peſtis, per fomitem de loco ad locum, de civitate ad civitatem, & nonnunquam de gente ad gentem, transferri. II. Interdum animalculorum iſtorum ſemina,

el etiam, ut *Scalig. Exercit. 61. f. 2.* loqui-
ur, quasi semina, unà cum cibo, potu,
ere, aliisq; modis, in corpora quædam
ssumuntur, è quibus postmodùm, non
iendis, sed jamdudum factis formis,
ova corpora pronascuntur. Sic semi-
a vermium cum carnibus inferuntur
entriculo: sic vis mineralis in subjecto
io hærens cum vino communicatur
orpori: sic cum pulvere lumbrico-
um assumuntur formæ ipsæ lumbrico-
um; unde vermes, calx, & lumbrici,
on raro in hominum nascuntur cor-
oribus. Hinc adversus vermes & pe-
iculos multum facit bona diæta: mul-
um abstinentia à ficubus, cæterisq; ci-
is delicatis & promiscuis: multum
nundas servare vestes: multum pecti-
atione ac lotione mundare caput:
iultum lectorum mutare stramina:
ıultum tandem abstinere à vestibus ex
nâ aut pellibus ovium morbidarum
it à lupis laceratarum confectis. Et ad
anc classem etiam spectant semina illa
uæ ad alias res sive animatas sive inani-
iatas transportantur. Sic semina ra-
arum & luciorū in alias piscinas trans-
runtur, ranæq; & lucii ibi, ubi nec ra-

næ nec lucii anteà aderant, non ſine ſtupore vulgi generantur. Quarum rerum exempla innumera proſtant ubiq;.

## Concluſio Tertia.

### *Formæ Partiales ad mirandam ſeminis nos deducunt fabricam.*

Adverte hîc animum ſpectator rerum novarum, non ſine re *Franciſc. Titelman. in Philoſ. Nat. Lib. 8. Cap. 11.* ob admirandam ſeminis naturam ait. Si enim ullibi verum eſt illud *Ariſtotelis Lib. 5. de Gener. Anim. Cap. 7.* αἱ ἀρχαὶ μεγέθει οὖσαι μικραὶ, τῇ δυνάμει μεγάλαι εἰσί. Hoc eſt, *principia quamvis magnitudine parva ſint, tamen facultate ſunt magna:* certè de ſemine, ſummo illo Naturæ theſauro, veriſſimum & certiſſimum erit. Parvum eſt ſemen magnitudine, ſed maximum facultate, adeò ut quicquid formarum eſſentialiter & per ſe in toto eſt animalis corpore, id huic ipſi referat acceptum, imò huic ipſi actu infuerit. Ex hoc enim omnia membra, nobilia & ignobilia, ſupera, infera, & media, format nunquam non provida Mater, Natura. Hinc irreparabile damnum & inemendabile malum, ex hujus propagna-

*Formæ Partiales actu in ſemine.*

gnafcitur damno & malo, generantq; podagrici podagricos, epileptici epilepticos, furdi furdos, muti mutos, alii alios. De quâ mirabili feminis naturâ cum præ cæteris eleganter fcripferit & fenferit modò citatus *Franc. Titelm.* citato loco, non piget verba ejus notatu digniffima adfcribere, iisq; Thefes noftras concludere. Ita autem ille: *In femine animalis, atque ideò in femine hominis, nonnè illud vel maximè ftupendum eft, quòd ex virtute illâ, quæ in tàm viliffimâ atque penitus deformi & fordidâ materiâ ineft, talis ornatur membrorum tàm pulchra compofitio, tàm convenientiffimus ordo, tàm efficax difpofitio membrorum, tàm eximia fingularum partium conjunctio? Videlicet ut in infimo pars aliqua lata fabricetur, fuper quam ipfum corpus debeat moveri de loco in locum: cujus partis extremum multiplicem habeat divifionem, ut fit velut in particulas diffecta materia, hoc eft, ut pes habeat fuos digitos in extremitatibus: atque hæ rurfum partes talem habeant ordinem, ut quæ primo loco ponitur, cæteris fit & altitudine & craffitie major, atque ita deinceps fuo ordine, ut fit noviffimus digitus omnium tenuiffimus & minimus.* *Admiranda feminis natura.*

*Item ut partes hæ sic divisæ, in extremo pedis secundum quinarium numerum ita regulariter & universaliter distinguantur, ut monstrum judicetur, si quando in uno pede senaria inveniatur distinctio. Iterum ut harum partium quælibet in sui extremitate ex parte superiori duritiem habeat unguis, mirabili artificio & subtilissimâ conjunctione ita adglutinati carni & pelli, ut nullâ possit excidere violentiâ, quantumvis comprimantur pedes aut urgeantur multis laboribus. Item ut singulæ hæ partes, suas habeant juncturas, in quibus possint incurvari, & prior quidem major non nisi unam hujusmodi habeat in sui medio, cæteri verò binas. Et hæc quidem omnia in pedis & manus compositione manifestè apparent etiam extremâ tantùm consideranti. Ex adverso autem in supremo loco quomodo artificio maximo pars componitur rotunda, quæ cranio uno in superiori parte tegitur, hoc est, osseo tegmine ita durissimo & indissolubili, ut per annos plurimos in terrâ jacens non possit omninò consumi, quod quidem cranium carne & cute operitur, unde crinium egreditur defluxus, partem illàm undequaq; circumvestiens. Sub hoc autem cranio, nobilis quædam & tenerrima fundatur substantia, quam cerebrum*

rebrum dicimus, eaq; secundum diversas partes variè formata, ut diversarum virium aptum possit esse susceptaculum, & organum diversarum nobilium operationum, in qua insuper rotundâ parte supremâ ab anteriori parte consistunt oculi, in sua concavitate pulchrè firmati: sic tamen ut facillimè mobiles, quibus sunt etiam sua cilia & supercilia. Sub his sunt nares, ad latus autem aures: sub naribus autem oris apertura ad ingressum cibi, & per circuitum mandibulæ dentibus plenæ, quorum ij qui in ipso ingressu consistunt, tenues sunt & acuti, ad dissecandum atq; scindendum impositum cibum, posteriores verò crassiores sunt, & plus quàm duplicati, qui partes cibi jam anterioribus dentibus concisas possint velut molendo in minutissimas particulas conterere: propter quod etiam molares appellantur. A parte autem capitis posteriori, omnibus clausis, nulla conspicitur apertura: sed nervi fortes & juncturæ mirabiles illic consistunt, qui caput partem supremam cum humeris parte inferiore conglutinant: ita ut cum caput humeros non contingat, pulchrè tamen absq; onere per colli interpositionem ab eisdem gestetur. Hinc verò ab humeris velut duo rami extenduntur brachia duo, ad opus quodlibet pera-

*gendum, eaq; in medio curvabilia in cubito, extremitates autē similiter in digitos ordinatè divisas habentia, ut de pedibus suprà diximus. Deinde nobilissimum membrum cordis ita mirabiliter in medio animalis positum consistit, habens ad sui caloris temperamentum circumjacentem pulmonem, aërem sua respiratione continuo in modum follis attrahentem, sicq; suum calorem temperantem: vicinum etiam habens epar sanguinis officinam, & stomachum velut corporis totius coquum, alimenti totius susceptivum. Habet insuper splenem, habet renes, habet intestina omnia, mirabili connexione & convolutione disposita. Quòd hæc (inquam) omnia quæ tantùm figuraliter attingimus, & alia intus recondita multò mirabiliora, ita ordinatè, ita perpetuò in corpore hominis, sive etiam animalis alterius, ex seminis tùm vilissimæ substantia virtute efficiantur, quis non ista maximum reputet miraculum? Nonnê rectè tibi videtur domino dixisse Psalmista, Mirabilis facta est scientia tua, ex me confortata est, & non potero ad eam?*

Psal. 138.

ANTI-

# ANTITHESIS
## D. Johan. Freitagij.

### *Formæ ex potentiâ materiæ oriuntur, non autem per traducem propagantur.*

EXPLICATIO ET REFUTATIO.

Scholaſticorum de Origine Formarum ſententiam propugnare, & Traducem impugnare, ac in ſpecie *Excellentiſsimum & Experientiſsimum Dn. Doct.* SENNERTUM &c. *Præceptorem meum venerandum*, oppugnare, certa *Dn. Doct. Johannem Freitagium &c.* traxit lubido. Fecit hoc in Diſputatione quadam, cujus Titulus: *Diſputatio Medico Philoſophica de Formarum Origine, quam adverſus venerandæ Antiquitati repugnantem Neotericorum doctrinam Auditoribus ſuis exhibet &c.* Hanc ergò Diſputationem candidâ mente examinare, rem cum re conferre, & rationes rationibus convincere, aggredior. Cum autem Adverſarius ſerie continuâ & non

*Inſtitutū D. Iohannis Freitagii.*

non parùm confusâ rem ſuam proponat, perſpicuitatis ergò Argumentorum *Centuriam* extrahere, extractamq; in Pentades referre conabor. Subjungam verò Argumentis propria Adverſarij verba, ut pateat an candidè egerim, an ſecus, & an corticem tetigerim, an nucleum. Formabo autem reſponſiones & Generales & Speciales, ſaltem eo fine ut veritas magis magisq; pateſcat, & DN. SENNERTI mens veritatis avida, & vanæ gloriolæ neſcia, inclareſcat. Antequam tamen id agam, nonnulla ad Theſin primam & ſecundam Adverſarij, in quibus προοίμιον καὶ πρόθεσιν habet, reponam, & pòſt rectà ad κατασκευὴν καὶ ἀνασκευὴν me convertam. Eſt ergò

THESIS I.

*Pulcherrimam & veriſſimam Venerandæ Antiquitatis de rerum generatione ſententiam, neotericorum quorundam perculſus ratiociniis, evertere & exilio damnare conatur Clariſſ. D. Sennertus, aſſerendo, ex potentia materiæ formas materiatorum non educi, ſed mediante ſemine, cui in prima creatione inditæ, per traducem propagari, inſtar luminis à lumine accenſi vel animæ*

*canis*

*canis diviſæ & propagatæ per ſemen, duplici illas poteſtate inſignitas eſſe, quarum prima eſt, quod ſui ſint omnes multiplicativæ, ſecunda, quod ſibimet ipſis fabricent domicilium, & materiam ad incolatum & informationem recipiendam præparent & diſponant. Animam ſeu formam transferri cum ſemine, quod materiarum formæ cum ipſa materia ſint diviſibiles ad modum quo plantæ particula avulſa terræq; indita ſecum tranſportat animam, quâ ſimilem producit. Animalia tantùm per ſemina deportantia formam animalis generatricem aut ex eo quod ſemini reſpondeat, generari, plantas non tantùm per ſemina, ſed & per ramos avulſos, per radices, aliosq; propagationis modos naſci & propagari. Animam ſui domicilij formatricem neceſſariò eſſe in ſemine ex actionibus & facultatibus illi ſoli competentibus, quæ à calore nativo nec proficiſci, nec ineſſe eidem poßint, demonſtrat, quod nihil ſupra ſuam agit virtutem nullumq; accidens agit niſi per vim ſubſtantiæ. Vide Sennertum de Galen. cum Chym. conſenſu & diſſ. cap. mixti ſimplicis eundem, qui ſit animalis generandi modum tradit, libro citato, diverſam tamen formarum propagationem rationē admittere etiam videtur, in epitome na-*

 *turæ.*

*tural. scient. lib.1.c.1. videlicet illam qua alia aliam expellendo seipsam promoveat.*

# RESPONS.

## *I. Sententiæ de eductione formarū è potentiâ materiæ, ex antiquitate autoritas, est nulla.*

Ἔκθεσις.

*Aristotelis dogma nō est formarum eductio.*

*Aristoteli semen actu animatum est.*

Primus sententiæ hujus Autor fuisse vulgò fertur Aristoteles, sed in rei veritate ea Scholasticorum dogma est, non Aristotelis. Prorsus enim in Aristotele non habetur, formas educi è potentiâ materiæ, neque unquam ex Aristotele probari poterit, quod formas seminibus denegaverit, & tantùm quādam idoneitatem, habilitatem & aptitudinem ad eas illis concesserit. Potius *Libr. 2. de Gener. Anim. cap. 3.* docet τὰ σπέρματα, τὴν γονὴν, & τὰ κυήματα, semina, genituram, & conceptus, nihilo minus vivere quàm stirpes. Verba sic habent: οὔτε γὰρ ὡς ἄψυχον θείη τις τὸ κύημα, καὶ κατὰ πάντα τρόπον ἐστερημένον τῆς ζωῆς. οὐδὲν γὰρ ἧττον τά τε σπέρματα καὶ τὰ κυήματα τῶν ζώων ζῇ τῶν φυτῶν, καὶ γόνιμα μέχρι τινός ἐστιν. Hoc est, *Conceptum enim inanimatum*

*tum esse nemo statuerit, & vitâ omnibus modis privatum: quippe cum nihilo minus semina & conceptus animalium vivant, quàm stirpes, & aliquandiu prolifica sunt.* E quibus tale fluit argumentum: *Quicquid inanimatum non est, sed vitam non minus quàm stirpes habet, illud non saltem idoneitatem, habilitatem, & aptitudinem ad animam, sed ipsam animæ substantiam in se habet. Semina inanimata non sunt, sed vitam non minus quàm stirpes habent. Ergò semina non saltem idoneitatem, habilitatem, & aptitudinem ad animam, sed ipsam animæ substantiam in se habent.* Majore quid clarius? Minor est ipsius Aristotelis. Quanta ergo sententiæ de Eductione formarum è potentiâ materiæ antiquitas? Nec est, quod excipere quis velit, in eodem Aristotelis capite non semel etiam dici, *semen habere animam potentiâ, non actu.* Explicat enim Aristoteles seipsum. Siquidem δύναμιν opponit, non ταῖς οὐσίαις, sed ταῖς ἐνεργείαις. Verba ita habent: τὴν μὲν οὖν θρεπτικὴν ψυχὴν, τὰ σπέρματα καὶ τὰ κυήματα τὰ χωριστὰ δηλονότι, δυνάμει μὲν ἔχοντα θετέον, ἐνεργείᾳ δὲ οὐκ ἔχοντα, πρὶν ἢ καθά-

*Argumentum firmissimũ.*

*Exceptio.*

*Responsio.*

καθάπερ τὰ χωριζόμενα τῶν κυημάτων ἕλκει τὴν τροφὴν, καὶ ποιεῖ τὸ τῆς τοιαύτης ψυχῆς ἔργον. Hoc est: *Animam igitur vegetantem in seminibus & conceptibus nondum separatis, haberi potentiâ statuendum est, non actu priusquàm eo modo, quo conceptus qui jam separatus, cibum attrahant, & officio ejus animæ fungantur.* Aristoteli ergò semen potentiâ est animatum, non respectu essentiæ animæ, sed respectu operationum animæ. Hinc *Scaliger Exercit. 6. s. 5. p. m. 28.* ait: *Quapropter hac de re ita sentiendum, quemadmodum suprà dicebamus, formam esse in semine canino: cujus in potestate dicitur esse, quia semen est potens dare formam, quam in se continet. Educitur autem de potentiâ remotâ, qui est actus primus, ad potentiam propinquam, qui est actus secundus, scil. ut forma sit in eadem materiâ ad eum modum qui nullis egeat adminiculis, ut fine suo fruatur, ad quem comparatum est totum compositum.* Et *sect. 7. p. m. 30.* inquit: *Forma perfecta est ibi intus actu. Nisi enim esset actu, non utiq; agere posset. At ubiq; Philosophus de eâ loquens ait:* τὴν κίνησιν ταύτην ποιεῖ. *Nam quod ait* δυνάμει *inesse: hoc ideò dixit, non quia egeat aliâ substantiâ sese eliciente atq; perfi-*

*Quomodo Aristoteli semen sit potentiâ animatum.*

*perficiente: sic enim esset inchoata, sed quia caret instrumentis expressis, quæ sunt in ejus potestate.* Quam Scaligeri sententiam repetit & explicat *Clariss. Dn. Sennertus in Tract. de Cons. & Diss. Chym. cum Arist. & Galen. cap. 9. p. m. 99.* his verbis: *Quanquàm verò Aristoteles potentiâ solùm semen animam habere dicat: id cum Scaligero ideò dictum putamus, non quia egeat aliqua substantia sese eliciente atque perficiente; sed quia caret instrumentis expressis, quæ sunt in ejus potestate: seu, non quia non sit ipsa essentia animæ in semine, semenq́; actus primi respectu non animatum esse dicatur; sed solùm de potentiâ secundâ, quæ perficitur actu secundo, id accipiendum est, nimirum respectu operationum, quas nondum edere potest ob defectum organorum. Nam in semine non est reipsâ apparatus ille organorũ ac partium distinctus, deestq́; semini non illa ab animâ, sed illa à corporis structurâ, & partium compositione ac cõformatione perfectio, ob cujus defectum semen planta perfecta vel animal perfectum nominari non potest.* Hinc & *Clar. Caspar Hofmannus de Formarum Origine pag. 128.* inquit: *Aristoteles semini toties tribuit actum, ut hominis sit valdè imperiti, urgere tantùm loca*

*illa, quibus δυνάμει ait esse.* Et si tempus hiscè insumendum, facili negotio plurima loca ex Aristotele producerem, in quibus ipsam animæ substantiam seminibus concedit. Hoc inprimis notandum, sæpissimè ab Aristotele doceri, in semine esse τὴν ἀρχὴν κινοῦσαν, τὴν δύναμιν ποιοῦσαν, & τὸ ποιητικόν: jam, quænám est illa ἀρχὴ τῆς κινήσεως καὶ φύσεως? Respondet subtilis *Scaliger Exercit. 6. s. 5. p. m. 29.* his verbis: *Hæc fabrica fit, aut à substantiâ, aut ab accidente, aut ab utroque; Non ab accidente solo, primùm quia nullum accidens agit, nisi per vim suæ substantiæ. Deinde, quia nullum accidens cognoscit. Illa enim virtus, tàm nobilis templi architecta, sapientissima ab hominibus Philosophis judicata est. Ædificabitur igitur à substantia: At hæc forma seminis est. Sanè seminis forma, si non est anima, bruta res est. Et si fabricat, est æqualis animæ. At incrementis, & amissæ carnis repositione, opus illud animæ est.* Et *s. 7. p. m. 30.* ait: *Aristotelis perpetua sententia est: in semine animam inesse, quæ sibi corpus fabricat. Quemadmodum est in 7. divinæ Philosophiæ. Semen, inquit, est sicut artifex &c.* Non ergò Aristotelis sententia est, formas

*Quanám Aristoteli sit illa δύναμις ποιοῦσα & ἀρχὴ κινήσεως καὶ φύσεως.*

educi è potentiâ materiæ, ſed Scholaſticorum, qui ſæpè ſatis frigidè & Ariſtotelis & Naturæ inſpexerunt & inquiſiverunt monumenta. Fruſtrà igitur hîc illa Veneranda Antiquitas urgetur: quaſi verò imperiti quidam è Scholaſticis ſcriptores, quorum vix decimus quisque Ariſtotelem Græcum legit vel intellexit, ſint illi Venerandi Antiqui. Rectius Clariſs. Dn. Hofmannus, qui toties Ariſtotelem legit & relegit, quoties Freitagius eum vix aſpexit, ſe dogma de Eductione formarum è potentiâ materiæ, nec in Ariſtotelis, nec in Naturæ Libris deprehendere poſſe fatetur.

## *II. Pulchritudo ſententiæ de eductione formarum è potentiâ materiæ eſt nulla, quia nulla ejus eſt veritas.*

Ἔκθεσις.

Suum cuiq; pulchrum eſſe, in ore omnium eſt. Hinc pulcherrima *D. Freitagio* ſententia de eductione formarum eſt: ſed *quisquis amat ranam, ranam putat eſſe Dianam.* Et ut cibus famelico, vel è ſecun-

*Nec pulchra, nec vera ſententia eſt, formarũ eductio.*

ſecundario pane, pulchrior eſt, quàm montes aurei, & quàm Sol ipſe, teſtante *Scaligero* Exerc.300. ſ.4. ita & multis pulcherrimæ ſunt ſententiæ, in ſe ſatis deformes & enormes, quia meliorum ſuavitates & amœnitates ob præconceptas opiniones percipere, vel nequiverunt, vel noluerunt. Ac quemadmodum ſolo cœloq; ſicco plantæ & arbuſculæ, ſucci melioris copiâ deſtitutæ, quemvis humorem obvium non abſq; aviditate inſigni ſugunt ſorbentq;: ita & homines, qui τοῦ εἰδέναι ὀρέγονται φύσει, 1. Met. c.1. avidâ mente famem ſæpè ferculis quibusvis non ſine delectatione explent, parùm diſcernentes, quænam *ſint mala mixta bonis, & quænam noxia veris.* Nobis pulchrum non eſt, niſi quod à primo & ſummo pulchro eſt. Hoc enim menſura omnis pulchri, omnis boni, omnis perfecti, & omnis veri eſt. Pulchritudo ergò ſententiarum, ab earundem unicè dependet veritate, ſatq; pulchra, quæ ſat vera eſt. Unâ ergò fideliâ duos hoſcè dealbavimus parietes *Theſ.4. Concl.1.* Verbulo dicam: Nulla ſententiæ de eductione formarum è potentiâ materiæ ineſt pulchritudo,

*Pulchrũ quid.*

quia

quia nulla ei ineſt veritas; nulla ei ineſt veritas ob rationes ſuprà allatas, ſat firmas, ſat invictas.

## *III. Antiquitas ſententiæ de formarum traductione eſt egregia.*

Ἔκθεσις.

Non jam dicam, omnem ſententiam veram, eſſe etiam antiquam, quia ſat antiquum, quod ſat verum. Sed cum Adverſarius per antiquitatem, diuturnam opinionis exiſtentiam intelligat, etiam hanc ſententiæ de traductione formarum non deeſſe affirmo. Argumentor enim: *Quæcunq; ſententia fundatur in ſcriptis Galeni, Platonis, & Ariſtotelis, ejus antiquitas eſt egregia. Sententia de traductione formarum fundatur in ſcriptis Galeni, Platonis, & Ariſtotelis. Ergò ejus antiquitas eſt egregia.* Major non negabitur, quia non de abſoluta, ſed reſpectivâ antiquitate res eſt, quo ſenſu Adverſarius etiam ſuam de eductione formarum opinionem putat antiquam. Minor eſt trimembris. Quoad primum, Galenus *Libr. de Marcore cap. 1.* triplicem viventium facit ordinem, quorum

*Sententia de traductione formarũ ſat antiqua.*

primus sit Plantarum, secundus Animalium, tertius utrorumque Seminum. Verba ejus hæc sunt: *Cum autem marcor sit viventis corporis corruptio, triaq; sint viventium genera, animalia, stirpes, ac semina, & ob hæc etiam fructus: horum propriè marcor affectus esse dicitur &c.* Quibus verbis quid quæso clarius? Quoad secundum membrum assumo locum ex *Academ. Contempl. Petri Valentiæ Zafrensis*, qui lib. 9. cap. 2. p. m. 325. ita ait: *De sensu, inquit Plato, Plantas esse ejus aliquâ ex parte compotes: nam præditæ dicuntur sensu suavis & tristis ac unà cupiditatibus: Insuper etiam semina à Platone dicuntur animâ prædita, & consequenter dici possunt animalia: omne enim animâ præditum asserit esse animal.* Et paulò pòst p. 326. *Et jure Plato statuere videtur semina animata, cùm conspiciamus ea frequenter ex se emittere germen, & per solam cum terrâ conjunctionem incipere nutriri; quod non facerent, nisi animam includerent. Vivunt itaq; semina, sed vitam postremam: vita autem sine animâ non reperitur. Dicuntur tamen animam includere potestate; quatenus non includunt illam cum postremâ perfectione, cum partium corporis distinctione, & cum*

*Galeno semina novum viventium genus constituunt.*

*Platoni semina sunt animâ prædita.*

*& cum actu secundo; ut convenit plantis. Insuper eis convenit sola vis, quæ formare debet corpus, eoq́ formato mox uti; non autem ea quæ ex illâ consurgit & actu format.* Quoad tertium membrum, repeto locum è *Libr. 2. de Gener. Anim. cap. 3.* ubi Aristoteles semina, genituram, & conceptus, non minus quàm stirpes vivere asserit. Ita ergò è Galeno, Platone, & Aristotele argumentor: *Quicunq; animas in seminibus actu esse voluerunt, illi in doctrinâ de traductione formarum egregiè nobiscũ consentiunt. Galenus, Plato, & Aristoteles, animas in seminibus actu esse voluerunt. Ergò Galenus, Plato, & Aristoteles in doctrinâ de traductione formarum egregiè nobiscum consentiunt.* Major patet, quia traductio unicè fundatur in reali & actuali animæ in semine præsentiâ, unde etiã contrariæ sententiæ defensores seminibꝰ denegare animas tanto laborãt conamine. Minor fuit modò probata.

*Aristoteli semina animata.*

*Syllogismus invictus.*

## *IV. A nudâ sententiarum antiquitate, non licet argumentari ad earundem veritatem.*

*Antiquitas sentẽtiarum nil facit ad veritatem illarum.*

Ἔκθεσις.

Ponatur jam, non concedatur, sententiam de traductione formarum esse

noviſſimam, & vix nudius tertius natam; contrà verò, ſententiam de eductione formarum eſſe vetuſtiſſimam, & ſtatim cum Caino ſatam: ſed quid inde? Veranè hæc erit, quia antiqua; & falſa illa, quia nova? Syllogiſmus eſſet talis: *Quæcunq; ſententia eſt antiqua, illa eſt vera; & quæcunq; eſt nova, illa eſt falſa. Sententia de eductione formarum eſt antiqua; & ſententia de traductione formarum eſt nova. Ergò illa eſt vera, hæc falſa.* Sed egregia eſt illa Major, quâ forſan quis omnes Veterum errores, ante ſecula multa notatos, refutatos, & relegatos, ſuaſerit eſſe revocandos. Vigeant potiùs floreantq; illa quæ in ore omnium: *Antiquitas & multitudo errantium, errori non pariunt patrocinium: Antiquitas dogmatis absq; antiquitate veritatis, magis heterodoxiæ quàm orthodoxiæ eſt argumentum.*

*V. Eductionem formarum evertere & exilio damnare, non tàm Neotericorum quorundam perculſus ratiociniis, quàm nobiliſſimis, & à ſapientibus omnibus approbatis, fretus κριτηρίοις, voluit debuitq; Clariſs. Dn. D. Sennertus.*

Ἐκθε-

Ἔκθεσις.

Λόγῳ καὶ πείρᾳ. *Ratione & Experientiâ,* velut concessis, & ab omnibus veritatis amatoribus ac falsitatis osoribus approbatis κριτηρίοις, opiniones quasvis trutinandas esse, non semel monet *Clariss. & Excellentiss. noster Sennertus.* Videat Adversarius *Cap.5. Tract. de Consens. & Diss.* & facilè consentiet, optimumque ibi discendi veritatemque inquirendi modum deprehendet. Λόγῳ ergò καὶ πείρᾳ, missis & remissis omnibus præconceptis opinionibus, vanisq; hypothesibus, & umbratilibus Scholasticorum speculationibus, contra formarum eductionem pugnavit Dn. SENNERTUS. Et cum Philosophi non sit Sacram nescire Scripturam, hanc etiam gratâ & Christianâ mente adire & audire, non dubitavit. Quis enim Creatori de creaturis loquenti, suum non adjiceret calculum? Scripturâ ergò S., Ratione, & Experientiâ fretus, formas materiatorum è materiâ nunquam fuisse eductas, sed primitùs ab ipso Deo creatas, & beneficio propagationis mediâte semine hucusq; conservatas & porrò conservandas esse, asseruit. Scripturâ S., Ratione,

*Quid Clariss. Dn. Sennertũ impulerit, Eductionẽ oppugnare, & Inductionẽ propugnare.*

*Præter Rationem & Experientiam, etiam S. Scriptura à Philosopho Christiano cõsulenda.*

tione, & Experientiâ fretus, formas, seu formarum beneficio corpora naturalia, sese multiplicare, & subjectum seu materiam, aut domicilium suum aptè disponere, elaborare & exornare, dictitavit. Λόγῳ καὶ πείρᾳ fretus, formas multas ad divisionem materiæ dividi, mediante semine generari, imò per ramos, per radices, perq; alias partes semen includentes, propagari, subindè inculcavit. Λόγῳ καὶ πείρᾳ fretus, animam actu esse in seminibus, suumq; sibi fabricari domicilium, calorem autem saltem calefacere, & ex se nec cor, nec jecur, nec venam, nec arteriam, nec partem aliam, formare, affirmavit & confirmavit. Quæ omnia & singula probare meum non est, prostant enim præclara ejus Scripta, nil nisi Rationem, Experientiam, & S. Scripturam, urgentia. Nulla ergò sunt Adversarii sesquipedalia verba, plus in fronte quàm in recessu habentia, remq; ipsam ineptè & confusè proferentia.

## *VI. Adversarius argui posset negligentiæ.*

Ex his-

Ἔκθεσις.

Ait: Vide Sennertum de Galen.cum Chym. consensu & d ss. c. Quodnam jam est illud Caput, in quo eundem generandi modum & misti simplicis & animalis esse tradit? Vitium quidem Typographicum fuisse cogitassem, nisi similes citationes etiam in Disputatione de Morbis Substantiæ observassem. Sic etiam citat Epitomen naturalis scientiæ Dn. Sennerti, & quidem Cap. 1. Lib. 1. ubi doceri ait formam unam expellere aliam & promovere seipsam. Sed in dicta Epit. Lib. 1. cap. 1. de *Naturâ Philosophiæ* agitur: ubi, quid quæso de formarum expulsione & promotione? Si unquam quicquam, loca certè cautè & candidè citari debebant, præsertim ea è quibus petuntur argumenta. Sed transeant. De locis ubi ista continentur, dicendum infrà. *Adversarius citat frigidè.*

THESIS II.

*Hanc sententiam oculatius paulo inspicere operæ pretium fuerit, veritatem enim principiorum impugnare, barbariem aut ruinam bonis artibus minatur.*

RESPONS.

*Eductionem non probare, sed saltem traductionem improbare & dubiis levißimis impugnare, est rem Scholasticorum nonparum suspectam dare.*

Ἔκθεσις.

*Frustà carpuntur in aliis, quæ in sinu reperiuntur proprio.*

Oculatius inspicere gestit, sententiam de traductione formarum, sed cur non oculatius inspicit sententiam de Eductione formarum? Cur non argumenta profert, quib9 eam det munitam & confirmatam? Cur non videt eductione potiùs quàm traductione veritatem principiorum impugnari, falsitatumq; monstris scientias repleri? Adeò in perspectandis aliorum, vel veris, vel apparentibus, vel planè fictis, erroribus, sumus Lyncei, in propriis cæciores talpâ! Sit ergò

## Conclusio Prima.

*Adversarius probare tenetur formarum Eductionem, & non saltem aliqua enarrare dubia contra earundem Traductionem.*

Ni!

Nil enim tàm clarum & manifestum est, de quo non dubia nonnulla movere possit Scepticus. Ergò probet primùm Adversarius Eductionem, pòst improbet & damnet Traductionem. Sed forsan actum agere non vult, quia argumenta sat firma, sat valida, & sat invicta, pro formarum Eductione passim in omnibus etiam Physicorum prostant Compendiis, ut describere ea nec licitum, nec proficuum, videri queat. Videbimus quid argumentorum istorum humeri portare queant, quid ferre recusent. Argumentantur I. *Quicquid à materiâ dependet in fieri, esse, & operari, illud è potentiâ materiæ educitur. Formæ à materiâ dependent in fieri, esse, & operari. Ergò formæ è potentiâ materiæ educuntur.* Minor ut pateat, distinguendum esse, ajunt saniores, inter Formam Separabilem & Inseparabilem. Inseparabiles formæ, quales sunt omnes unicâ hominis animâ exceptâ, sine materiâ fieri & existere nequeunt. Separabilis verò, seu anima Rationalis, materiâ etiam sublatâ permanet. Minorem ergò loqui dicunt, de formis Inseparabilib9, non de Separabilibus. II. *Quicquid*

*Argum. I. pro Eductione formarum.*

 *est,*

*Argũ. II. pro Eductione formarum.* *eſt, vel generatur, vel creatur, vel incipit eſſe. Formæ ſunt. Ergò vel generantur, vel creantur, vel incipiunt eſſe. Sed non creantur, uti conſtat. Nec generantur, quia potius totum generari dicitur, quàm pars. Ergò incipiunt eſſe. Si hoc, aut ex nihilo eſſe incipiunt, aut ex aliquo. Sed non ex nihilo, quia aliàs crearentur. Ergò ex aliquo. Si ex aliquo, vel ex eo quod eſt actu, vel ex eo quod eſt potentiâ. Non ex eo quod eſt actu. Ergò ex eo quod eſt potentiâ.* III. *Forma*

*Arg. III. pro Eductione formarum.* *ſubſtantialis quæ eſt diſtinctum quid à materiâ, aut fuit aliquid ante generationem, aut nihil fuit. Si fuit tollitur generatio. Si non fuit, itidem tollitur generatio, & ſtatuitur creatio.* Neque ergò formæ ſunt, antequam fiunt; neq; inducuntur per creationem: ſed educuntur è potentiâ materiæ. IV. *Quicquid per agens naturale educitur, illud è potentiâ materiæ educitur. Formæ per agens naturale educuntur. Ergò formæ è potentiâ materiæ educuntur.* V. *Quicquid ſine materiâ ſubſiſtere nequit, illud è potentiâ materiæ educitur. Formæ ſine materiâ ſubſiſtere nequeunt. Ergò è potentiâ materiæ educuntur.*

*Arg. IV. pro Eductione formarum.*

*Argũ. V. pro Eductione formarum.*

Hæc ſunt potiſſima Scholaſticorum Argumenta, quæ ſolvere qui novit, facilè

cilè omnes alias Objectiunculas unâ operâ solvere valebit. Primum ergò quod spectat, dependetné forma à materia? Dependentné principia à se invicem? Quod ab alio dependet, illius sanè principiatum est. At, estné forma principiatum materiæ? Sed ne termino fallant, sciendum, Dependentiam sumi dupliciter: 1. *Generaliter.* 2. *Specialiter.* Generaliter sumitur pro eo, quod quocunq; modo indiget alio ad suum esse, Et sic concedimus formas dependere à materiâ in fieri & esse, ac consequenter etiam in operari. Verùm quid inde? Hoc nempè, formas non posse fieri sine materiâ & extra materiam, sed fieri in & cum materiâ; nec posse esse & operari sine materiâ & extra materiam, sed esse & operari in & cum materiâ. At, adhuc manet quæstio, unde illæ formæ sint, quæ nec fieri, nec esse, nec operari possunt, sine materiâ & extra materiam? Specialiter terminus Dependentiæ sumitur pro *Causali Dependentiâ*, atque sic inprimis res est de Dependentiâ *Effectivâ & Materiali.* Quoad utramq; Minor planè falsa est. *Resp. ad Argum. I.*

Nam

Nam 1. Materia in ordine ad formam Activè se non habet, sed Passivè: & licet activè se haberet, tamen effectum seipsâ præstantiorem & nobiliorem producere nesciret. 2. Materialem Dependentiam ad formam qui trahit, ex eâ formatum & compositum facit. Et quis non palparet Contradictionem, Formæ competere Dependentiam Materialem? Quoad Argumentum secundum 1. Malè in Majori divelluntur ea, quæ non sunt opposita, sed subordinata. Idem est, ac si dicerem: animal vel est rationale, vel irrationale, vel substantia. Annon enim ea quæ generantur & creantur, etiam esse incipiunt? Sed nova hæc loquendi ratio, ob unicam introducta fuit formam. Sicut & illa, cum dicunt, formas non corrumpi & interire, sed esse desinere. Adeò posito uno inconvenienti, sequuntur infinita. 2. Formæ utiq; generantur. Si dicis, totum generari, formam congenerari, quoad rem nihil dicis, quoad modum loquendi quid ais. Si in reipsâ nec materia, nec forma generantur, quid quæso generatur? Quid novi totum habet, præter suas partes unitas?

*Respons. ad Argument. II.*

Sed

Sed hac de re infrà uberius in Respons. ad Argum. 1. Pentad. 2. 3. Necessum est, formas fieri ex nihilo. Si enim ex aliquo fierent, non principia, non formæ, sed principiata, formata & composita essent. Et asserere formam ex eo quod potentiâ est fieri, est sonum sine mente dare. Videatur supra Thes. 4. Concl. 1. Nec metuenda est creatio, quia cum hæc dicitur productio rei ex nihilo, ad duo respicitur: 1. ad produducentem, qui est solus Deus. 2. ad producendum, quod est corpus vel spiritus. At hîc utrobiq; disparitas. Quoad tertium 1. pari modo contra eductionem regerimus: Forma ista aut fuit ante generationem, aut nihil fuit; Si fuit, quid opus generatione fuit? Generationis enim finis est forma: at præsente fine cessat actio. Si non fuit, creata fuit. Et quamvis recurrant ad Nihilum Privativum: tamen ne sic quidem se salvant. Formaliter enim Nihilum Privativum cum Negativo convenit, & Materialiter saltem materiam cum idoneitate notat. Jam fuitné forma ante generationem nihil Privativum? Privativum nihil formaliter est nihil. *Resp. ad Arg. III.*

Ergò

Ergò hoc pacto forma esse non potuit. Materialiter autem PrivativumNihil est materia cum idoneitate. Ergoné forma fuit materia cum idoneitate? Si dicunt, forma illa non fuit materia, sed fuit in materiâ disposita: Respondeo, in istâ materiâ nihil fuit, præter ipsam materiæ substantiam & hanc idoneitatem, cum aliis quibusdam accidentibus. Ubi autem ibi formâ? 2. Forma ante generationem purum nihil fuit: Siquidem effectus non est ante realem influxum efficientis. Creatio tamen inde inferri nequit, quia non solùm Deus, sed etiam Natura & Ars effecta

*Resp. ad Arg. IV.* sua de novo producunt. Quoad quartum, fallit terminus Eductionis. In Majoris enim subjecto τὸ *educitur*, vel idem notat quod producitur, & sic Major petit principium; vel idem est quod aliàs Peripateticis est τὸ educi, oppositum τῷ traduci, & sic Major mira est, talis nempè: Quicquid educitur, illud educitur: Quicquid fit, illud fit. Quoad

*Resp. ad Arg. V.* Quintum, Major est nulla. Etiam materia sine formâ subsistere nequit: ergò forsan hæc è potentiâ formæ educitur. Videatur Responsi. ad Argum. I.

Con-

## Conclusio Secunda.

***Adversarius oculatiùs inspicere tenetur sententiam de eductione formarum, quæ non parum principiorum impugnat veritatem, & scientias artesq; replet falsitatibus.***

Principium est, *omnem effectum habere suam causam Efficientem, Principalem & Proximam.* Hoc impugnatur & destruitur, si forma è potentiâ materiæ educitur. Quænam enim est Causa Efficiens Principalis & Proxima formæ ranæ in agris Æquivocè (ut loquuntur) productæ? Non Sol: hic enim est Causa Universalis, & nō magis ranam quàm murem facit. Non calor: hic enim accidens est, ergò Instrumentaliter hîc causat, de Principali autem Causâ quæritur; hic etiam ad murem concurrit, cur autem fit rana, & non mus? Non putredo: nam & hæc accidens est, & quod causat vi caloris facit; quod ergò calor nequit, etiam putredo nequit. Et sanè inquirant & disquirant utut velint ac possint, non tamen deprehendent Causam Efficientē Principalem & Proximam: si modò observare velint. 1. Effectū nō posse esse causâ suâ nobiliorē.

*Eductio formarū infert effectum, causâ Efficiente Principali & Proximâ destitutum.*

2. Ma-

2. Materiæ aptitudinem & dispositionem ad Causam Efficientem non spectare. Et hoc non saltem in ranâ sed ubiq; procedit. Cum canis forma educitur, quænám est ejus Causa Efficiens Principalis & Proxima? Talis nempè quæ effectu suo non est deterior. Imò, cum hominis anima fit in utero (ad hominem enim generationem spectare cernimus omnes) quænám tunc est Causa Efficiens Principalis Proxima? Agitné tunc die trigesimo aut quadragesimo post factam conceptionem Pater? Qui forsan mortuus fuit ante aliquot septimanas. Principium est, *principia non esse ex se invicem.* Hoc impugnatur & destruitur, si forma è potentiâ materiæ educitur. Esset enim forma ex materia. Nec juvat eos, quod formam ex potentiâ materiæ, non ex materiâ, educi asserant. Siquidem illa potentia si est materiæ potentia, adhuc indicat formam esse suum debere materiæ, nec eâdem cum materiâ gaudere prioritate. At ut materia nullo modo est ex forma: ita etiam forma nullo modo esse debet ex materiâ. Principium est, *materiam primam esse immutabilem.* Hoc

*Eductio formarū principiū facit principiatum.*

*Eductio formarū materiam primam facit mutabilem.*

Hoc impugnatur & destruitur, si forma è potentiâ materiæ educitur. Nam aut mutari debet illa materia in formam, aut forma veniet è nihilo, quod illis paradoxum. Et licet generationes formarumq; eductiones trahere velint ad materiam secundam, quæ illis est corpus: tamen ne sic se expedire queunt. Adhuc enim quæritur, unde venerit illa forma, quæ materiam istam secundam, quæ corpus dicitur, constituit? Sanè ex materiâ primâ, nisi progressus in infinitum concedendus. Principium est, *generans genito communicare suam essentiam.* Hoc impugnatur & destruitur, si forma è potentiâ materiæ educitur. Qualis, quæso, communicatio essentiæ absq; communicatione formæ? Qui formam communicat, ille sanè essentiam communicat; & qui formam non communicat, essentiam etiam non cõmunicat. Si jam mortuo gallo, forma pulli, quæ anteà actu in ovo & semine non fuit, educitur, tunc formæ hujus causa efficiens pullum generabit, & quod formam hanc efficere non poterit, ut ille gallus mortuus; etiam ad generationem non spectabit. Generatio

*Eductio formarũ negat generans genito suam communicare essentiam.*

enim est introductio formæ, ex propriis Scholasticorum principiis. Sed de his, & similibus, fusius & exquisitius infrà.

## Conclusio Tertia.

*Traductio nec principiorum impugnat veritatem, nec artibus ac scientiis minatur barbariem aut ruinam.*

*Una & simplex veritas.*

Verum vero consonat ubiq;. Cum ergò suprà Thes. 4. Concl. 3. sententiæ de Traductione monstrata & demonstrata fuerit veritas, cum veris principiis, regulis, ac scientiis, dubio procul concordabit. Hoc saltem cavendum, ne quis hypotheses suas pro principiis venditet, ne opiniones suas scientiis æquiparet, ne de re, quam nunquam intellexit, temerè judicet, ne benè dicta malè explicet, ac ne studio contradicendi aut calumniandi veritati sese opponat. Visuri ergò nunc sumus candidè, quomodo illa formarum traductio Adversario evertat principia, & quamnám bonis artibus & scientiis minitetur barbariem aut ruinam.

Sit igitur

CEN-

# CENTURIÆ ARGUMENTORUM AB ADVERSARIO PROPOSITORUM,

## PENTAS PRIMA.

### *Argum. I.*

Quæcunq; sententia confundit Causas Externas cum Internis, illa evertit principia, proindeq; toleranda non est. Sententia de Traductione formarum confundit Causas Externas cum Internis. Ergò evertit principia, proindeq; toleranda non est. Major est extra controversiam. Minor probatur 1. quia si formæ, quæ est causa efficiens, particula aliqua in ipsum genitum transfertur, utiq; forma illa & Causa Externa & Interna est. Externa, quatenus habetur pro causâ Efficiente. Interna, quatenus fit pars essentialis geniti. 2. quia si materia etiam abscinditur à generante & cõmunicatur genito, utiq; & illa habebit rationem causæ Externæ, quatenus à generante est; Internæ, quatenus in genito est.

### *Argum. II.*

Quæcunq; sententia facit formam per se primò divisibilem, ea est nulla.

Sententia de traductione formarum, facit formam per se primò divisibilem. Ergò est nulla. Major probatione non indiget. Minor probatur, quia si formæ efficientis particula è generantis corpore in seminis corpus, & pòst è semine in genitum transit; necessum est formam per se primò esse divisibilem. Ratio est, quia semen nec pars, nec materia corporis fuit.

*Argum: III.*

Quæcunq; sententia confundit potentiam generativam cum nutritivâ & augmentativâ, illa est falsa. Sententia de traductione formarum confundit potentiam generativam cum nutritivâ & augmentativâ. Ergò est falsa. Major est manifesta. Minor probatur, quia effectus potentiæ nutritivæ & augmentativæ completur & manet in ipso subjecto, in quo insunt potentiæ: effectus autem generativæ (ut Titelm. habet) extra subjectum istius potentiæ est. Jam si formæ sunt in seminibus, generationis effectus erit in ipso generante.

*Argum. IV.*

Quæcunq; sententia infert hominem propagare individuum, ea est falsa.

Sen-

Sententia de traductione formarum infert hominem propagare individuum. Ergò est falsa. Major probatur, quia homo propagat speciem seu hominẽ, non individuum, alioquin seipsum propagaret. Minor probatur, quia sententia hæc vult, hominem suæ propriæ essentiæ seu formæ participatione generare.

*Argum. V.*

Quæcunq; sententia vult Petrum producere eundẽ Petrum, seu seipsum, ea est inepta. Sententia de traductione formarum vult Petrum producere eundem Petrum. Ergò est inepta. Major patet, quia Petrus non se, sed hominem numericè à se distinctum generat. Minor probatur, quia si propriam suam formam & essentiam communicat, utique seipsum generat.

## Adversarij Verba.

THESIS III.

*Hactenus indubitatæ veritatis regula fuit, causarum alias esse internas alias externas, quarum hæ sint materia & forma essentiam rei constituentes, illæ efficiens & finis, quatenus tales, eandem non ingredientes.*

*Efficientium causarum sive univoca sive æquivoca fuerit, nulla unquam ingreditur essentiam effecti. Animalia enim univoce generantia, nec ex sua propria materia, neque ex sua forma producunt semen, unde animal prosatum, sed ex cibo chylum, ex chylo sanguinem, ex sanguine semen, in quo potentia proxima ad animal. Illud à substantia efficientis, nec quoad materiam, neque quoad formam abscinditur vel dividitur, sed generatur ab efficiente, ex sanguine & spirituum mixturâ in testibus à natura destinatis ut generandi materiam conficiant. Si verò hoc ipso formæ efficientis particula ex ejus corpore in corpus seminis transeat, necessum foret, formam per se primò esse divisibilem, quod nec pars nec materia corporis fuerit semen. Rectè proinde Titelman. lib. 8. natural. philosoph. cap. 10. inquit; Effectus operationis virtutis generativæ est extra subjectum ipsius potentiæ. Potentia nutritiva & augmentativa, ipsa suum individuum in quo est, nutrit & augmentat. Nulla autem res per potentiam generativam seipsam generat, sed aliud distinctum individuum, simile tamen secundum speciem. Hæc speciem propagat, illæ conservant & ad generationē tanquam ad finem ordinantur. Homo pro-*

pagat

*pagat speciem seu hominem, nō individuum, alioquin seipsummet propagaret. Petrus non generat nec producit eundem Petrum seu seipsum, sed sui speciem, hoc est, hominem in individuo existentem alio. Quocirca non suæ propriæ essentiæ seu formæ participatione generat, sed per suam formam tanquam causam efficientem.*

## Responsio Generalis.

*Adversarius confundit communicationem μετεκβατικὴν, cum communicatione ἀλλοποιητικῇ.*

Ἔκθεσις.

Communicationis doctrina ut pulcherrima & utilissima, ita & difficilima est. Siquidem χαλεπὰ τὰ καλά. Ad præsens negotium quæ spectant proponam breviter. Dividitur Communicatio in eam, quæ est inter res disjunctas & separatas, & illam quæ est inter res conjunctas & unitas. Illa triplex est: 1. κοινωνία κατὰ μετέκβασιν, communicatio secundum transgressionem. 2. κοινωνία καὶ ἀλλοποίωσιν, communicatio secundum alterius similis productionem. 3. κοινωνία κατὰ χρῆσιν, communicatio secundum usurpationem.

*Traductio formarū ad quam Communicationis speciem spectet.*

Hæc duplex eſt: 1. κοινωνία κατὰ συνδύασιν καὶ ἕνωσιν propriè dictam. 2. κοινωνία κατὰ σύγχυσιν, ſeu ſecundum unionem impropriè dictam. Uſitatas Deſcriptiones Communicationum κατὰ μετέκβασιν & κατ᾽ ἀλλοποίωσιν proponam, & Adverſario confuſionem ſuam oſtendam. Κοινωνία κατὰ μετέκβασιν eſt, *quâ communicatum deſerto communicãte tranſit ad id cui communicatur.* Κοινωνία κατ᾽ ἀλλοποίωσιν eſt, *quâ communicans omnia ſua retinet, & tamen ſibi ſimile, numero diverſum, in altero producit, illiq́ ſeſe communicat.* Hinc ita argumentor: *Quicunq́ contra diſputantem de communicatione ἀλλοποιητικῇ, excipit per ea quæ ſpectant ad communicationem μετεκβατικὴν, is confundit communicationem μετεκβατικὴν cum ἀλλοποιητικῇ. Adverſarius contra diſputantem de communicatione ἀλλοποιητικῇ, excipit per ea quæ ſpectant ad communicationem μετεκβατικὴν. Ergò Adverſarius confundit communicationem μετεκβατικὴν cum ἀλλοποιητικῇ.* Major ſuâ radiat luce. Minor probatur, quia illi qui traducem defendunt, non ita à generante formam communicari genito aſſerunt, ut illa ex uno corpore in aliud ſaltet, vel etiam ut

ejus particula aliqua à generante avellatur, & ex eo in genitum deferatur, sed ut planè nova forma, specie eadem, numero diversa, producatur & producendo communicetur, atque sic non de communicatione μετκβαλικῇ, sed de communicatione ἀλλοποιητικῇ loquuntur. Hinc satis cauti Patrem nec totam animam, nec partem animæ, sicut nec totum corpus, nec partem corporis, communicare, sed se instar ignis, à quo alius ignis accenditur, sine prioris vel divisione, vel mutilatione, habere, statuunt. Unde & traducem in ordine ad hominem spectatum (quamvis aliàs in primâ suâ significatione tradux sit *propago, seu pars quædam ab arbore secta & in aliam traducta*; sicq; omninò absq; divisione fieri nequeat) ita describunt: *Tradux est animæ rationalis propagatio spiritualis, quâ ea à parentibus in liberos sine divisione & sine transfusione propagatur, totusq; homo ab homine toto, tàm quoad animam, quàm quoad corpus, progeneratur.* Cur ergò hîc Adversarius excipit de communicatione μετκβαλικῇ? Frustranea itaq; sunt omnia illa quinq; Argumenta, turpiter communicationem *Tradux quid.*

κατὰ μετέκβασιν cum communicatione καθ' ἀλλοιώσιν confundentia.

## Responsiones Speciales.

*Ad Argum. I.*

Minor negatur. Forma enim quæ multiplicatione sui aliam formam producit, in generante manet, & nunquam in genitum transfertur, atque sic benè rationem Causæ Externæ, nullo modo autem (quoad genitum) Internæ habet. Sic & materia à generante non abscinditur & genito communicatur, sed retinet generans totam suam materiam, & per quoddam ad substantiam, essentiam, & integritatem suam non spectans, effectum sibi similem producit. Offendunt Adversarium nonnullæ locutiones, quas magis quàm res ipsas pensitat, & hinc tot confusionum mõstra format. Nempè, dicitur semen ἀπόσπασμα σώματος καὶ ψυχῆς, ita ut ad subjecti divisionem anima ipsa dividatur, & aliquid ejus cum semine ab animali decidatur, in *Lib. de Chymic. cum Arist. & Gal. Consf. ac Diff. cap. 9.* Hinc illas nectit consequentias, non tàm res quàm verba sequentes, mentemq; Clar. Sennerti evertentes & pervertentes. Ubi

*Generans nihil de substantiâ suâ amittit.*

scire

ſcire debebat, Philoſophos eſſe rerum ſectatores, non verborum lancinatores. Sæpè neceſſitas vocabula nonnulla extorquet, loquimurq; non ut volumus, ſed ut valemus. Ita ergò ex ipſo *Dn. Sennerto* contra Adverſarium argumentor: *Quicunq; ſtatuit generans producere animam numero à ſuâ animâ diverſam, ob quam novum poſtmodùm oriatur animal, ille cauſam Externam cum Internâ non confundit. Dn. Sennertus ſtatuit, generans producere animã numero à ſuâ animâ diverſam, ob quam novum poſtmodùm oriatur animal. Ergò Dn. Sennertus cauſam Externam cum Internâ non confundit.* Major ſat rata eſt. Minor patet ex eodem Cap. 9. ubi apertè ait animam geniti eſſe ejusdem ſpeciei cum animâ generantis, ſed nõ ejusdẽm numeri, & ob hanc animã etiam novum exoriri animal. Et quamvis Scaliger Exerc. 6. ſ. 10. animam geniti partem animæ genitoris vocare non erubeſcat: tamen 1. non ut cucurbitæ pravum è corpore educunt ſanguinem meliore relicto, ita & nos ex egregiis Scaligeri ſcriptis, non niſi mala extrahamus & attrahamus. Quis n. negaret, quod etiam in Scaligeri ſcriptis *ſint bona mixta malis, & mala mixta bonis.*
2. Mul-

2. Multa scribuntur ex usu loquendi, ut quæ acrius & penitius quis sentit, facilius induat in animos auditorum. Ad mentem ergò Scaligeri magis quàm ad vocabula respiciendum. Benè enim Scaliger novit, animam planè non habere partes.

*Ad Argum. II.*

*Generans generando non suam dividit formam.*

Minor iterum negatur. Nulla siquidem formæ efficientis particula à generante abscinditur, sed fit generatio sine ullâ generantis & diminutione & divisione. Et sicut forma cum in materiam novam sese promovet, non augetur: ita eadem cum se multiplicat, nec diminuitur, nec dividitur. Et sanè, ait *Scalig.Exerc. 101.s.15 formam qui majorem, aut minorem, dicit, abutetur patientiâ sapientum.* Cum verò vel idem *Scaliger*, vel *Dn. Sennertus*, viventia in generationibus aliquid de suâ materiâ & de suâ formâ largiri, dictitant; non ad identitatem *numericam*, sed *specificam*, respiciunt. Hoc est, non hoc volunt, ac si aliqua mutilatio, vel respectu animæ, vel respectu corporis generantis fieret, sed saltem & animam & corpus à generante esse, declarare conantur. Sic & cum

*Quomodo generans communicet aliquid de suâ materiâ & de suâ formâ*

gene-

generans aliquid de suâ essentiâ in generatum transferre docent, saltem idẽtitatem specificam, non autem individualem, exaggerant, rationemq; generationis intimius pensiculant. Neque modus ille loquendi novus est. Siquidẽm ipsi Peripatetici ita loquuntur, ut exemplo *Zabarellæ* (quem magni facit Adversarius) & *Armandi de Bello Visu*, patebit. *Zabarella Libr. de facult. anim. cap. 11.* sic ait: *Generans communicat aliquid de suâ animâ nutritivâ, quatenus exhibet semen animatum, ut ipse Arist. asserit in 2. libr. de Ortu anim. cap. 3. est enim semen præditum facultate vitali, quæ eadem in generante erat; sed simul communicat aliquid de suâmet materiâ, quia forma non potest migrare de materiâ in materiam, quare necesse est, ut vivens generans exhibeat portionem suæ materiæ, unà cum portione animæ nutritivæ, & caloris sui naturalis; fit autem posteà alia numero anima, & aliud vivens ejusdem speciei.* Armandus de Bello Visu in Explic. Termin. Tract. 2. c. 15. ita ait: *Sciendum, quod genitum exit à generante dupliciter: uno modo secundũ quod procedit in esse distinctum, clausum tamen intra terminos generantis, & iste exitus vocatur*

*catur propriè conceptio: alio modo, secundum quod procedit in esse distinctum & manifestum, ideò in eis non propriè dicitur conceptio sed nativitas. Et quia res nominatur secundum quod apparet, ideò iste modus exeundi facit nativitatem secundum communem modum loquendi. Nihilominùs tamen & iste exitus primus potest dici nativitas, secundum quod dicimus duplicem nativitatem: unam in utero, aliam ex utero. Et quia in plantis simul procedit quid in esse distinctum & manifestum: ideò in eis non dicitur propriè conceptio, sed nativitas.*

*Ad Argum. III.*

*Differunt potentia nutritiva & augmētativa à generativâ.*

Etiam hæc Minor falsa est. Quoad probationem, lubenter concedimus id, quod *Titelmannus* habet, potentiam nutritivam & augmentativam à generativâ in eo differre, quod illarum effectus maneat in ipso subjecto in quo sunt potentiæ, hujus autem tendat extra subjectum, & quod potentia nutritiva proprium individuum nutriat, & augmentativa proprium individuum augmentet, generativa verò aliud distinctum individuum, simile tamen secundum speciem, producat. Sed quid hoc contra Traducem? Generans enim nō gene-

generat ante emiſſionem ſeminis, atq; ſic minimè in generante potentiæ generativæ dabitur effectus, ſed ibi ubi eſt tale ſemen emiſſum. Hinc ſemper de ſemine *prolifico* loquimur. Per ſemen autem prolificum intelligimus (re ad hominem contractâ, ut fieri ſolet in Analogis & Analogatis) neutrius ſexus ſemen ſeorſim ſumptum, ſed utriusq; conjunctum, & in utero fœminæ ritè unitum, ut habet *Clariſſ. Dn. Sennertus in Tract. de Conſ. & Diſſ. cap. 9.*

*Nihil generat ſeipſum.*

*Semen prolificum quid.*

*Ad Argum. IV.*

Adverſarius loquitur obſcurè. Non enim ſatis patet, an in hoc argumento è *Grammaticis*, an è *Phyſicis* diſputare conetur. Aſſumit verbum propagare, & illud nō ad individuum ſed ad ſpeciem ſpectare aſſerit, quod & in Grammaticis & in Phyſicis eſt falſum. Verbum enim propagare cur non individuis etiam competeret? Dicimus ſanè propagare ſobolem, propagare vitem, propagare nepotes &c. ubi utiq; propagatio individuorum eſt. Hinc & propago propriè notat, *vitem ſuppreſſam, ut eâ generentur plures;* quod de individuo accepţandum eſſe, ultrò patet. Sed mittimus Grammaticalia. Na-

*Propagare cui competat.*

Naturam ipsam si spectemus, propagatio & ad speciem & ad individua refertur: ad hæc ex se, ad illam propter hæc. Stat v. gr. propagatio generis humani, quia se propagant & multiplicant individua, horum enim tantùm est agere, propter Canonem: *Actio est suppositorum.* Cadit ergò Major. Probatio addita est nulla. Cur enim homo seipsum non propagaret, hoc est, multiplicaret? Cur propagatione hac novum individuum non procrearet, atque sic speciem conservaret? Sed forsan Adversarius vult hoc, homo non *propagat*, seu *gignit*, seipsum. Sed sic apertè falsum est, hominem propagare, hoc est, gignere, speciem. Singularium enim est gignere & gigni, non universalium.

*Ad Argum. V.*

*Petrus nō se, sed sibi simile, generat.* Minor falsa est. Probatio non attendit defensores traducis urgere communicationem ἀλλοποιητικὴν. Generat nempè Petrus sine diminutione sui novum individuum, quod anteà planè non fuit. Unaq; Petri est anima, à quâ multæ, sicut una anima canis plurium sufficit generationi, ut habet *Scal. Exerc. 6. l. 10.*

PENTAS

PENTAS SECUNDA.

*Argum. I.*

Quæcunq; ſententia ſtatuit principia generari, ea eſt improbanda. Sententia de Traductione formarum ſtatuit principia generari. Ergò eſt improbanda. Major probatur autoritate Ariſtotelis, Zabarellæ, & Bodini, qui generationem & corruptionem non adſcribunt principiis, materiæ ſcilicet & formæ, ſed principiatis & compoſitis. Minor eſt in propatulo, quia ſententia hæc formam canis, equi, ſalicis, quercus, & alias, vult generari.

*Argum. II.*

Quicquid fit, fit ex aliquo quod eſt in potentiâ. Forma quæ generari ſtatuitur, fit. Ergò fit ex aliquo quod eſt potentiâ. Porrò: Quicquid fit ex alio quod potentiâ tale eſt, illud actu in iſto non eſt. Forma fit ex alio quod potentiâ tale eſt. Ergò forma actu in iſto non eſt; & per conſequens, anima in ſemine actu non habetur.

*Argum. III.*

Quæcunq; ſententia ſtatuit, 1, formas transferri ex hoc ſubjecto in aliud, &

migrare ex hac materiâ in aliam. 2. particulam quandam formarum in aliam extra ſuum ſubjectum transfundi materiam: ea rejicienda eſt. Sententia de traductione formarum ſtatuit 1. formas transferri ex hoc ſubjecto in aliud, & migrare ex hac materiâ in aliam. 2. particulam quandam formarum in aliam extra ſuum ſubjectum transfundi materiam. Ergò rejicienda eſt.

*Argum. IV.*

Quicquid effectum non ingreditur, illud etiam effectui non tribuatur. Forma & materia parentum effectum, filium ſcilicet, non ingrediuntur. Ergò forma & materia parentum etiam filio non tribuantur. Major eſt clara. Minor probatur, quia parentes ſunt cauſa Efficiens, adeoq; Externa, quæ effectum non ingreditur. Unde non ita ſe habet ſemen, ut ſe habet ſurculus ab arbore avulſus, quia hic eſt pars arboris, ſed ſemen pars parentum non eſt, nec magis animatum dici poteſt quàm ſanguis.

*Argum. V.*

Si generatio fit, cùm parentes producunt ſemen prolificum, habens potentiam formæ ad ſpeciem ſui ſimilem, fruſtrà

ſtrà formæ actu ſtatuuntur in ſemine.
Sed generatio fit, cum parentes producunt ſemen prolificum, habens potentiam formæ ad ſpeciem ſui ſimilem. Ergò fruſtrà formæ actu ſtatuuntur in ſemine. Nec ſi à calore potentia illa deducitur in actum, propterea ſtatim dicendum illam formam à materiâ generari.

## Adverſarij Verba.

### Thesis IV.

*Forma ſi ab efficiente immediatè generetur & tranſeat cum ſemine, ut ex eo ſibi domicilium exſtruat, principia generarentur; atqui de naturâ principiorũ eſt, non generari, vel corrumpi, ſed principiati. Et Ariſt. lib. 1. Phyſ. auſcult. cap. 1. ait, omne quod generatur eſt compoſitum. Zabarell. lib. de generat. & inter. c. 5. inquit, propriè dici totum compoſitum generari & interire nõ formam vel materiam. Et Bodin. lib 3. Theatr. natur. Quæſt. 70. nec materiam nec formam generari ſed totum ex utroq; miſtum. Sed concedamus propius & premamus arctius.*

### Thesis V.

*Omne quod fit, fit ex aliquo quod eſt in potentiâ. Nihil verò reducitur ex actu ad*

 *poten-*

*potentiam, nisi ab ente existente in actu: si enim sit aliquod ens exsistens in potentia, id ab alio existente in actu reduci debet, cum nulla potentia seipsam actuare possit & quod sit, id actu nondum est, sed ad actum aspirat, quod vero facit id omnino actu necessarium est esse. Nisi enim una & eadem res dicenda sit actu esse & nō esse, fatendum est quidquid sit ab alio fieri. Hactenus illud primæ divinæq; scientiæ immotum exstitit oraculum & principium, cui & nos inniti æquum est.*

## THESIS VI.

*Forma cum speciem propagat, suiq; similem producit (ita cum illis loqui fas sit) induit rationem causæ efficientis: generat itaq; sibi simile ex alio quod potentiâ tale erat. Nulla enim forma rerum speciem profert, quatenus seipsam ex hoc subjecto transferendo migrat in aliam materiam aut subjectum, sic enim statuere est metempsychosin Pythagoream reducere; nec quatenus sui particulam, in aliam extra suum subjectum transfundit materiam, sic enim ipsa primò foret divisibilis & quanta; semen enim non est pars animata animæ seminantis unâ & eâdem à quo avellatur tanquam surculus ab arbore, nō magis animatum semen est quàm san-*

*ſanguis, nec pars corporis propriè dicta: Neceſſum itaq; eſt ut ſe propaget ſimilem ſui producendo, tanquam cauſa efficiens: atqui hæc non ingreditur effectum, ut cauſa interna & conſtitutiva pars eſſentiæ. Ex forma enim & materia parentum non naſcitur proles, ſed generatur, tanquam ab efficiente ſibi ſimilem procreante, ex principiis non ex propria ſua eſſentia delibatis aut diviſis tanquam particulis. Generatio itaq; fit cum parentes producunt ſemen prolificum, habens potentiam formæ ad ſpeciem ſui ſimilem. Illa forma nondum actu generata eſt, ſed hæret in potentia ſeminis (excipe animã rationalem) uti in ovo actu non eſt forma pulli ſed proxima potentia ad eundem. Sufficit ſemen à generante talem accipere potentiam ut externo quovis adminiculo convenienti poſſit in actum perduci. Ovum leni caloris fotu actuatur, & generatio perficitur, ubi ſemen æquali poteſtate præditum, eſt genitum, quo producto & in ſuo loco (videlicet matrice commoda) aſſervato, atque ſuperſtite, ipſe generans interire poteſt. Quod ſi à calore & virtute uteri in actum ducatur, non dicendum formam eſſe generatam à calore; vel ab accidente ſubſtantiam produci. Erat enim in potentia proxima,*

*quæ est ratio dispositæ materiæ propinquissimæ, talem importans necessitatem, ut accedente caloris opera, atque convenienter adjuvantium actione forma ei propria & debita, non alia qualiscumq; emergat atq; exsurgat. Quod in semine potentia est ad animam id ab anima habet, videlicet illam dispositionem, ut potentia in eo sit proxima ad animalis formam, quam ut adipiscatur, non est amplius istius animæ præsentia opus, à cujus virtute eam habet; sed sufficit in commodo loco vim plasticam ab anima inditam suscitari, foveri ipsamq; potentiam in actum deduci, quod semini animantium accidit in utero, & stirpium in terrâ.*

## Responsiones Generales.

### I. *Adversarius frustrà odiosum id clangit: Iste habet: Ille dixit.*

Ἔκθεσις.

*Res intellectus nostri mensura sunt, non Libri.* Omnium opiniones ad veritatis præsidium & falsitatis excidium limandas & refutandas esse, omnes uno ore fatentur & Philosophi & Medici. Frustrà ergò Adversarius vel *Bodini*, vel *Zabarellæ*,

*rella*, vel *Aristotelis*, vel alterius, sententiam *Experientissimo Dn. Sennerto* opponit, quippè qui Ratione & Experientia, non autoritate humanâ pugnandum passim dictitat. Qui veram credit esse propositionem quampiam, in *Præfat. ad Lect. de Conf. & Diff.* ait, ideò quod Plato, Aristoteles, vel quivis alius eam crediderit, nec aliam rationem & causam inquirit; certè ingenio omni caret. Veritas enim non in ore ejus qui quid affirmat, sed in reipsâ quæ explicatur, consistit. λόγῳ ergò καὶ πείρᾳ pugnet Adversarius, non Autoritatibus.

## II. *Adversarij Exceptiones maximam partem super uno volvuntur cardine.*

Ἔκθεσις.

Ait, formam habere rationem Causæ Efficientis, formam non migrare de subjecto in subjectum, formam non dividi, non esse unam eandemque in parente & filio &c. Sed hæc omnia etiam dixerat anteà, profluuntque ex unâ communicationis ἀλλοποιητικῆς *Citharœdus ridetur, cum semper eâdem oberrat chordâ.*

 cum

cum μεταβαλικῇ confuſione. Si modum quo communicabiles dicuntur formæ, penſitaret Adverſarius, vix talia proferret. Nempè eſt & manet Patris generantis anima Cauſa Efficiens, non migrat ea de ſubjecto in ſubjectum, non dividitur, non in duobus aut tribus corporibus eſt, ſed tota, ſalva & incolumis perſiſtens, aliam numero diverſam, ſpecie eandem, certâ mediante materiâ generat & producit.

## III. *Adverſarij proteſtatio eſt contraria facto.*

Ἔκθεσις.

*Producere parentes & filios animâ rationali destitutos, eſt facere atramentum rubrum.*

Animam Rationalem ſe excipere ſæpius profitetur, & tamen ubiq; mentionem Parentum & Filiorum, hominis, Petri &c. reddit. Unde ſic argumentor: *Quicunq; animam Rationalem à Controverſia de Origine Formarum vult exceptam, ille etiam Parentum, Filiorum, Hominis, & Petri, nullam facere debet mentionem. Adverſarius animam Rationalem à Controverſiâ de Origine Formarum vult exceptam. Ergò etiam Parentum, Filiorum, Hominis, & Petri, nullam facere debet*

*debet mentionem.* Major probatur, quia Parentes, filij, homo, Petrus, nullâ aliâ animâ quàm rationali constant. Et, quod benè notandum, quid sibi illa Adversarij volunt verba thesi 6. prolata? *Generatio itaq; fit*, inquit, *cum parentes producunt semen prolificum, habens potentiam formæ ad speciem sibi similem.* Certè hîc etiam Animæ Rationalis potentiam in semine hærere dicit, quod sat crassum. Nihilominus tamen statim subjicit, excipe animam rationalem, quod nugatorium esse quis non videt? Excipit, & non excipit. Sed de his infrà plura.

## Responsiones Speciales.

### *Ad Argum. I.*

Distinguendum est inter principia *Universalia* & *Specialia*. Universalia non generantur, quo sensu suprà Thesi 2. dictum, Formam Primam nec educi, nec induci, nec traduci. Specialia verò principia omninò generantur. Falsa ergò est Major. Sive enim propria Scholasticorum principia, sive naturam & veritatem ipsam consideremus, principia non minus quàm principiata & com-

*Principia Universalia & Prima nõ generantur.*

*Principia Specialia & Secunda corporum corruptibiliũ generãtur*

& composita generari deprehendimus. I. Scholastici statuunt, 1. formam dependere à materiâ in esse, fieri, & operari. 2. formam non fieri, sed confieri, non produci sed comproduci, non generari, sed congenerari: è quibus sic argumentor: (1.) *Quicquid ab alio dependet in fieri, illud fit. Forma ab alio dependet in fieri. Ergò forma fit.* Major manifesta est. Id enim quod non fit, quomodo in fieri dependere potest? Et sicut rectè dico: Quicquid ab alio dependet in esse, illud est; Et, quicquid ab alio dependet in operari, illud operatur; Et contrà: Quicquid non est, ab alio etiam non dependet in esse; Et, quicquid non operatur, ab alio etiam non dependet in operari: Ita etiam jure eodem rectè dico: Quicquid ab alio dependet in fieri, illud fit; Et contrà, quicquid non fit, ab alio etiam in fieri non dependet. Sed forsan Adversarius concedit formam fieri, negat tamen eam generari. Argumentor ergò porrò: *Omnis substantia quæ fit, aut per creationem aut per generationem fit. Forma est substantia quæ fit. Ergò forma aut per creationem, aut per generationem fit.* Sed non

*Formas fieri & generari è principiis Scholasticorum Argum. I.*

per

per creationem fit, quod concessum. Ergò per generationem. Major patet, quia saltem stat duplex ille substantias producendi modus. Sunt enim in universum tria Efficientia, *Deus, Natura, & Ars*. Potens est Ars, potentior Natura, potentissimus Deus. Ars producit mera accidentia: (contradistinguendum enim formale materiali; hoc quidem substantia est, sed à naturâ, non ab arte, facta) Natura & Deus non accidentia sola, sed substantias accidentibus suis donatas & dotatas; illa generando, hic creando. Minor fuit probata. (2.) *Quicquid consit, comproducitur, connascitur, & congeneratur, illud etiam fit, producitur, nascitur, & generatur. Forma consit, comproducitur, connascitur, & congeneratur. Ergò forma etiam fit, producitur, nascitur & generatur.* Major probatur, quia τὸ confieri, ut nomine, ita & re includit τὸ fieri, & τὸ comproduci produci, & congenerari generari: aliàs nec cor, nec pulmo, nec hepar, nec ullũ aliud membrũ generaretur, quæ tamen generari expressè dicit *Aristot. Lib. 2. de gener. anim. c. 1.* ubi egregiè disputat, an ab intrinseco, an ab extrinseco, an à separato, an à conjuncto, partes corporis generentur.

*Tria Efficientia.*

*Ars quid producat.*

*Deus & Natura quid producant.*

*Formas fieri & generari è principiis Scholasticorum Argũ. II.*

Sive

Sive ergò solitariè, sive conjunctim cum alio quid fiat & generetur, tamen fit & generatur: non enim quia manus fit cum brachio & digitus cum manu, ideò non fiunt. II. Naturam & veritatem ipsam si spectemus, utiq; formas fieri & generari manifestissimè deprehendimus. Æternæ enim non sunt, sed initium habent: ergò eo ipso quo esse incipiunt, fiunt, impossibile siquidem est incipere & non fieri. Sic cùm generatur canis, forma canis esse incipit: si hoc, ergò fit, & si non fit, etiam esse non incipit. Imò, si quid argutiæ modo loquendi, aut quid subtilitatis terminis istis, confieri, congenerari, connasci, & comproduci, inesset, rectiùs compositum diceretur confieri, connasci, congenerari, & comproduci, quàm principia. Natura enim semper à partium productione ad totius productionem progreditur, factisq; & productis omnibus & similaribus & dissimilaribus partibus, tandem ultrò confactum & comproductum est totum compositum. Sic factâ animâ canis, factoq; epate, corde, cerebro, arteriis, venis, nervis, ligamentis, ossibus, cartilaginibus, cæterisque parti-

*Formas fieri & generari, ipsa docet Natura.*

*Quid cõfiat, congeneretur, connascatur, & comproducatur.*

partibus omnibus, confactus & congeneratus etiam est canis. Hinc in Phys. Lib. 1. cap. 3. ita habet *Excellentiss. & Experientiss. Dn. Sennertus: Verum enimverò, sive primò, sive secundò, sive consequenter, sive sola, sive cum composito, fiat forma, nihilominus remanet quæstio integra; Unde forma quæ jam est in materia, & anteà non fuit, habeat suam essentiam; an præextiterit in materiâ, an fiat materiæ in formam conversione, an ex nihilo. Non enim si digitus fit cum manu, ideò non fit ex aliquo. Imò potius compositum consequenter & secundò fieri dicendum, quam materiam. Ut enim dum ligna, lateres, calx, & alia fiunt & componuntur consequenter domus fit: ita compositum naturale, quod nihil aliud est, quàm materia & forma, fit cum materia & forma fit. Cùm autem materia non fiat, quid aliud fieri dicendum, quàm formam.*

*Ad Argum. II.*

Transeat quod Adversarius formam modò *ex* aliquo, modò *ab* aliquo fieri dicat, & terminos illos pro Synonymis habeat, cum tamen aliàs differant immensum. Rectius accuratiores Aristotelici, quorũ propugnator audire vult

Adver-

*Accuratè loquendo differunt termini, A, Ex, Per, & Propter.*

Adverſarius, per quatuor hoſcè terminos, *à*, *ex*, *per*, & *propter*, quatuor diſtinctas cauſalitates notant, ita ut terminus *à* vel *ab* ſpectet ad *Efficientem*, *ex* ad *Materiam*, *per* ad *Formam*, & *propter* ad *Finem*. Formam igitur *ab* aliquo eſſe, & formam *ex* aliquo eſſe, differunt egregiè. Sed, ut dictum, tranſeat; in verbis eſſe poſſemus faciles, ſi modò conveniremus in re. Major Argumenti eſt Canon Scholaſticorum, ſed tot ambiguitatibus involutus, ut eum vix ipſi Scholaſtici explicare ſufficiant. Poſſemus ergò facilè Majorem iſtam rejicere, 1. ut obſcuram & ambiguam. 2. ut alienam & ſuſpectam. Siquidem dogmata dubia perCanones æquè dubios, imò ex ipſo dubio dogmate conſtitutos, contra eos qui in hoc ipſo non conſentiunt, ſed λόγῳ καὶ πείρᾳ pugnant, probare, eſt aliena, ſuſpecta & inepta arma proferre. Ex abundanti tamen Scholaſticas Canonis vel limitationes vel diſtinctiones adferre, ac in quantum valeat, & in quantum non, penſitare, ac num contra nos urgeri poſſit, an ſecus, rimari lubet. Sonat ergò Canon ita:

*Quic-*

*Quicquid fit, ex aliquo fit.* Cui non absimilis ille: *Ex nihilo, nihil fit.* Hîc jam Scholastici explicant 1. *τὸ fieri.* 2. *τὸ ex.* 3. *τὸ nihil.* Fieri, dicunt, sumitur vel pro fieri *simpliciter & absolutè*, vel pro fieri *secundum quid.* Simpliciter fieri dicitur id, quod est ultimus actionis alicujus terminus. Sic fit compositum, non forma, aut materia. Secundum quid fieri dicitur, quod quia non est à seipso ab alio fit, sed non separatim, verùm cum alio, & in alio. Sic fieri dicitur forma. Canon, *Quicquid fit, ex aliquo fit*, loquitur de eo quod dicitur fieri *simpliciter.* Hinc & exempla de vermiculis qui fiunt è caseis, de cane qui fit è semine, & similia, afferunt. Non ergô ab Adversario ad formas, quæ Scholasticis nec fiunt, nec generantur, trahi debet. Ad composita enim & non ad principia Canon applicari debet, aliàs in Syllogismis exinde formatis quatuor fient termini. 2. Terminus Ex Scholasticis hoc loco valdè ambiguè dicitur. Nunc enim *Subjectivè*, nunc *Terminativè*, nũc *Constitutivè* sumitur. Subjectivè si acceptetur, Canon,

*Limitationes Canonum:* Quicqu. fit, ex aliquo fit: Ex nihilo, nihil fit.

*Quotupliciter Scholasticis dicatur τὸ fieri.*

*Adversarius Canonem malè applicat.*

*Quotupliciter Scholasticis dicatur τὸ Ex.*

Canon, *Quicquid fit, ex aliquo fit*, hoc vult: *Quicquid fit, ex aliquo tanquam subjecto suo generatur.* Et hoc sensu dicunt, ex ente in potentiâ aliquid generari, tanquam ex subjecto. Terminativè si acceptetur; Canon hoc dicit: *Quicquid fit ex suo contrario seu opposito fit.* Terminus enim ille est ipsum contrarium, unde & Canonem formant: *Contrarium fit è contrario.* Constitutivè si intelligatur, Canon id ait: *Quicquid fit, ex aliquo tanquam parte componente & constituente fit.* Et sic omnia corpora naturalia ex materiâ & formâ fiunt. Si jam Adversarius urgeat significationem primam, principium petit. Hoc enim jam controvertitur, an id quod fit, ex potentiâ illâ Scholasticorum fiat; si secundam, nihil infert, quia hoc pacto merus saltem terminus à quo indigitatur; si tertiam, malè ad formã tanquam principium, non autem ad principiatum & compositum Canon applicatur. 3. Nihil etiam Scholasticis vel est *Negativum*, vel *Privativum.* Negativum est purum non ens, quod enti opponitur Contradictoriè. Privativum est καθ᾽ ὃ non ens, quod negationem quidem notat, sed idonei-

*Adversarius Canonem applicare nequit.*

*Quotupliciter Scholasticis dicatur τὸ Nihil.*

doneitatem & habitudinem conno-
at. Canonem, *ex nihilo nihil fit*, de prio-
nihilo intelligunt, non de posteriori.
lempè, ex nihilo negativo nihil (per
iam generationis, non creationis) fit;
x nihilo autem privativo illis aliquid
. Sed quid inde? Ergone forma fit
potentiâ materiæ? Larga hæc est
ollectio, siquidem de Composito Ca-
onem intellectum volunt, nō de prin-
piis. Ut taceam illam privationem ite-
m involvere principij petitionem.
e potentiâ istâ sat dictum supra Thes.
Concl. 1. Missis jam illis Interpretum
plicationibus, Canonem potius ita
rmarem: *Quicquid fit, ab alio fit*; non
: *Quicquid fit, ex alio fit*. Effectus enim
nper postulat Causam Efficientem,
n autem semper requirit materiam.
fiebant Angeli ab alio, non autem
uratè loquendo ex alio: fit anima
ionalis ab alio, sed non ex alio: & si-
formæ omnes ab alio, sed non ex
). Hinc argumētum invertimus hoc
lo: *Quicquid fit, ab alio fit. Forma fit.
ò ab alio fit.* Major in confesso est,
nor fuit probata. Si jam ab alio fit,
sso, à quonám? Aut à materiâ, aut
G à for-

*Adversarii applicatio nulla.*

*Canon Scholasticorū quomodo limitandus.*

*Inversio Argumenti.*

à formâ: tertium enim non datur, omnisq; sive actio sive passio vel ad materiam vel ad formam revocanda venit. A materiâ autem non fit, quia hæc non agit, sed patitur. Ergò à formâ: ergò formæ sese multiplicant, propagant, speciesq; conservant. Ibimus per exemplum. Forma canis generati à quonám fuit facta? Num à materiâ canis, an à forma canis, num à cœlo, an à substantiâ aliâ, an ab accidente certo? Accidentibus & causis aliis remotis & universalibus nullus hîc est locus, quia effectus specificatio causam specificantem postulat. Ergò restat materia & forma. Cujusnám materia & forma? Canis nempè generantis: generatum enim à generante suam habet essentiã, ut in confesso est. Sed à materiâ illa forma non fit, quia hæc passivè se habet, & ab omnibus passivum salutatur principium, non activum: ergò à formâ seu animâ canis, quæ in opere generationis aliam sibi quoad speciem similem, quoad numerum diversam, producit animam. Et quamvis recurrere quis velit ad materiam dispositam, tamen agens est de quo quæritur, non patiens,

agens

agens proximum est, de quo quæritur; agens principale est, de quo quæritur: quæ si quis pensitaverit, facilè nec materiæ virtuti, nec siderum efficaciæ, nec caloris potentiæ, vim producendi istam animam tribuere valebit. Sic & cum ex ovo gallinaceo gallus, ex anserino anser, & ex serpentino serpens producitur, de causâ Efficiente Proximâ & Principali (non de subjecto aut materiâ) istius animæ galli, illius animæ anseris, & hujus animæ serpentis inquiritur & disquiritur, quæ præter formam alia nec est, nec esse potest.

*Ad Argum. III.*

Minor negatur. Non enim forma migrat & saltat ex unâ materiâ in aliam, nec illius aliqua particula è corpore priori migrat in corpus aliud, sed generans totam suam formam retinet, & novam in & cum materiâ convenienti & habili gignit, eo modo quo candela accensa alium in aliâ candelâ gignit ignē. Plura hac de re dicta fuêre suprà in Pentade primâ, quæ brevitatis ergò repetere non lubet; & de Pythagoreâ Metempsychosi, quam toties ingeminat Adversarius, in *Tract. de Morb. Tot. Subst.*

*Animam & corpus parentum in filio nemo quærit.*

*Quæst. 4. ad Except. Respons. 1. seq. 2.* actum est prolixius.

*Ad Argum. IV.*

*Parens retinet suam animam & suum corpus.*

Conceditur Syllogismus totus, quia omninò in filio nec anima nec corpus parentum est, sed à duabus parentum animabus profecta fuit una quoad numerum diversa anima, & à duobus parentum corporibus productum & profusum fuit unũ numero diversum corpus. Semen verò an sit pars corporis, an non, nihil ad nos. Non enim loquimur de semine prout in parentum testiculis, vel etiam prostatis glandulosis hæret, sed illud semen animam habere asserimus, quod in utero benè disposito legitimè mistum & suscitatum est. Hic enim generationis (respectu ad hominem habito) est modus, ut (1.) semina fæcunda & pura in uterum tanquam agrum feracissimum effundantur, (2) exquisitè misceantur, (3) retineantur, (4) uteriq; ingenitâ facultate suscitentur. Hæc illa semina sunt, quibus animam actu inesse, conceptus vivificatione & partium efformatione persuasi, statuimus: hæc illa γονὴ est, cui toties τὴν ἀρχὴν κινοῦσαν inesse monet Aristoteles: hoc

*De quonam semine Status Controversiæ sit?*

hoc illud κίνημα eſt, δύναμιν ποιοῦν & ἔχλω φύσεως continens, ut idem Ariſtoteles loquitur, & alii ſaniores cum ipſo. Aliàs verò, ſi quid de ſemine in corporibus Parentum contento dicendum, & an pars ſit, an non, inquirendum, dicimus partem ſumi in ſignificatu vel *ſtrictiori*, vel *latiori*. In ſtrictiori ſi ſumatur, ſemen pars corporis animati non eſt. Habent enim animata omnes ſuas partes, etiam tunc cum ſemina non habent, unde utile excrementum appellari conſuevit. Si verò pars in latiori ſenſu, quo Hippocrati τὰ μόρια in ἴσχοντα, ἰσχόμενα καὶ ὁρμῶντα, hoc eſt, *continentia, contenta, & impetum facientia*, dividuntur, ſumatur, ad partes ſemen utiq; ſpectat. Quod verò malè cum ſurculo comparetur, nondum videmus, quia collatio illa ſtat eatenus, quatenus ſemen eſt medium propagationis; aliàs verò facilè concedimus, dari certas inter ſurculum & ſemen diſconvenientias, quia ſimile etiam eſt diſſimile.

*An, & quo modo ſemen pars animati ſit.*

*Ad Argum. V.*

Non pauca hîc conjunguntur, quæ diſtinctè conſideranda. I. Aſſumptum

 petit

petit principium. Nempè, generationem fieri, cum parentes producunt semen prolificum, habens potentiam formæ ad speciem sui similem, probandum, non ita nudè proferendum est. Pro contrariâ sententiâ (ut ea non repetam de quibus suprà sat dictum) ita argumentor: *Quicquid est generationis terminus proximus, sine ejus præsentiâ nulla generatio fieri potest. Forma est generationis terminus proximus. Ergò sine formæ præsentiâ nulla generatio fieri potest.* Major sat firma est. Minor est Scholasticorum. Siquidem sine formæ substantialis productione nullam esse generationem omnes consentiunt: unde etiam generationem fieri ajunt in instanti, quia forma tanquam substantia non acquiritur divisibiliter, adeoq; successivè. Hinc porrò argumentor: *Quicunq; facit generationem sine formæ productione, ille facit atramentum rubrum, tenebras splendentes, vitrum ligneum, cadaver vivum, & uno verbo, contradictionem in adjecto. Adversarius facit generationem sine formæ productione. Ergò Adversarius facit atramentum rubrum &c.* II. Prætereundum nõ est, Adversarium excipere animam rationalem, & tamen non excipere Pa-

*Generatio Scholasticis est introductio formæ.*

*Syllogismus invictus.*

re Parentes. Sic ergò argumentor: *Quicunq; excipit animam rationalem, & non excipit parentes, ille facit parentes irrationales. Adversarius excipit animam rationalē, & non excipit parentes. Ergò Adversarius facit parentes irrationales.* Porrò: *Quicunq; facit parentes irrationales, ille facit σιδηρόξυλον, seu oppositum in apposito. Adversarius facit parentes irrationales. Ergò Adversarius facit σιδηρόξυλον, seu appositū in opposito.* Major probatur, quia paternitas & filiatio non nisi naturis rationalibus competunt, nec canem appellamus patrem & catulos filios, nisi forsan per Ironiam, aut etiam per jocum, ut Scaliger facit Exerc. 6. s. 5. *Unus homo,* ait *Armand. de Bello Visu in Explic. term. Tract. 2. cap. 15. producens alium hominem per viam naturæ, dicitur pater, productus dicitur filius. Non tamen dicitur propriè de plantis, & de brutis: quia quâdam appropriatione tractum est ad producta intra naturam intellectualem.* III. Qui negat formas factâ statim conceptione actu esse in seminibus, facere non potest, quin animam Rationalem vel ex potentiâ materiæ educi, vel à Deo immediatè creari, fateri habeat. Licet enim eam hîc excipiant nonnulli Scholastici,

*Paternitas & filiatio quibus competant.*

*Anima Rationalis an tutò excipi possit.*

nihilominus tamen etiam de hujus formæ origine respondere tenentur, an nempè ita à parentibus veniat, ut statim generationis actu finito & conceptione peractâ, in massâ illâ semineâ & casei instar coagulatâ & concretâ, realiter adsit, an verò demùm post dies, imò post septimanas aliquot, adveniat? Prius qui cum Scholasticis negant & posterius affirmant, annón necessariò vel ad eductionem è materiâ, vel ad creationem immediatam, confugere habeant, viderint ipsi. IV. Utiq; si à calore & virtute uteri in actum deducitur illa potentia, forma substantialis à calore & accidente aliquo generabitur. Tale enim est argumentum: *A quocunq; forma deducitur in actum, illud formam generat. A calore uteri (& quoad ovipara etiam calore quovis) forma deducitur in actū. Ergò calor uteri (& quoad ovipara etiam calor quivis) formam generat.* Major est Scholasticorum, quibus introductio formæ est generatio. Nec est quod excipiat Adversarius, hanc fuisse rationem dispositæ materiæ propinquissimę, ut accedente calore etiam propria accesserit forma. Nam hoc saltem ad materiam

*E dogmate Scholasticorum sequitur formas generari ab accidente.*

*Except. Adversar.*

*Respons.*

teriam

teriam spectat: lis autem est de Causâ Efficiente. Cum v. gr. ex ovo fit pullus, dispositio materiæ non agit, efficit, & producit animam pulli, sed se passivè habet, sicut lignum ex quo fit mensa, & corium è quo fit calceus: quæritur ergò, quænam sit causa efficiens proxima hujus animæ? Annon illa quæ potentiam actuat, & animam actu adesse, quæ anteà actu aberat, facit? Manet ergò adhuc salva *Clariss. Sennerti* exceptio, in hoc fundata Syllogismo: *Quicunq; statuunt in seminibus formas non esse actu, sed potentiâ, & calore in actum deduci, illi calorem formas producere & generare concedere coguntur. Scholastici statuunt in seminibus formas non esse actu, sed potentiâ, & calore in actum deduci. Ergò Scholastici calorem formas producere & generare concedere coguntur.* V. Vis plastica Adversario parùm præbet patrocinij. Dicit, in commodo loco vim plasticam ab animâ insitam suscitari, foveri, ipsamq; potentiam in actum deduci. Sed ne sic quidem se expedire potest. Nam illa vis plastica facitné animam, an sit anima? Si facit animam, facitné eam ut *instrumentum*, an ut *causa principalis*. Si ut in- *Vis plastica an animã faciat*

ut inſtrumentum, non producet eam ſine immediatâ conjunctione animæ. Inſtrumenta enim cum ſuis cauſis principalibus conjungi debent; ſiquidem in agendo cooperantur, & principali cauſæ ad producendum effectum inſerviunt. Atque ſic præſentiâ animæ maximè opus erit in ſemine. Si ut cauſa Principalis facit animam, vel æquè nobilis, vel nobilior, erit animâ productâ. Ratio eſt, quia *effectus non poteſt eſſe nobilior ſuâ causâ.* Si jam æquè nobilis aut nobilior eſt animâ, omnia illa dubia Adverſarii contra animæ præſentiam in ſemine prolata, regeri contra hanc vim plaſticam queunt facilimè. Et quorſum fruſtra multiplicamus entia? Si autem hæc vis plaſtica animam non facit, ſed anima fit, quid opus erit illâ materiæ potentiâ? E vi plaſticâ ſic tutius venire poterunt animæ, quàm è materiæ potentiâ. Imò, eſtné hæc vis plaſtica ſubſtantia, an accidens? Plurimi eam pro accidente habent: pauci verò ſubſtantiam eſſe eam agnoſcunt. Si accidens eſt, (1.) ex accidente fiet ſubſtantia, quod ἄλογον, & (2.) quodnám accidentis hujus eſſet πρῶτον δεκτικόν? Ac (3.) migravitné

*Vis plaſtica an anima fiat.*

vitné hoc accidens ex anima parentum in corpus seminis? Si substantia est,(1.) aut caret vitâ, aut habet vitam. Si caret vita, unde vita? quomodo non-vivens substantialiter mutatur in vivens? Si habet vitam, cur non est ipsa anima? Cur non semen facit animatum, ad minimum formaliter? (2.) Aut forma est, aut materia est, aut compositum est. Si forma est, ex unâ formâ fiet alia forma; & quodnám habet subjectum informationis? Si materia est, an prima, an secunda est; & à quanám actuatur formâ? Si compositum est, quænám ejus materia, & quænám ejus forma, & vivitné, an non vivit? Sed mitto hæc, jàm diversæ enim de vi plasticâ sunt sententiæ, ut ex eâ vix probari poterit quicquam: dubium enim per æquè dubium, & ignotum per magis ignotum probari nequit.

PENTAS

*Argum. I.*

Si formæ non sunt à formis efficientium separatæ tanquam portiones, nec in subjecto aliquo genitæ, nec ex nihilo, sequitur eas esse è potentiâ materiæ. Sed Antecedens est. Ergò & Consequens. Antecedens cum triplex sit, etiam tripliciter probatur. Nam 1. formæ à formis efficientium tanquam portiones separatæ non sunt, ob rationes suprà positas. 2. formæ in subjecto, seu semine, genitæ non sunt, quia aliàs forma in semine esset actu existentiali, re non existente; imò res una & eadem substaret duobus actibus specificis & ultimatis. 3. formas ex nihilo esse, absurdum est.

*Argum. II.*

Nulla forma materiatorum ultimata, in re est, quam non informat. Animæ inseparabiles sunt formæ materiatorum ultimatæ. Ergò animæ inseparabiles in re non sunt, quam non informant. Major probatur, quia forma & formatum sunt tempore simul, & si

præsente ultimatâ & existentiali formâ
es adhuc esset informis, res eadem si-
nul non foret & actu foret. Ubi itaq;
orma tanquam in subjecto est, ibi in-
ormat. Extra se generat, ut efficiens,
ion ex se, neque in se.

*Argum. III.*

Ex quocunque sequitur ex ovo non
ieri pullum, sed ovum, & ex cibo non
hylum, sed alium cibum, & ex chylo
on chymum vel sanguinem, sed alium
hylum, illud stare nequit. Ex formæ
er sui multiplicationem propagatio-
e sequitur, ex ovo non fieri pullum
d ovum, & ex cibo non chylum, sed
ium cibum, & ex chylo non chymum
d alium chylum. Ergò formæ per sui
ultiplicationem propagatio stare ne-
uit. Minor probatur, quia quemad-
odum ex cane fit canis, ita & ex ovo
t ovum, ex cibo cibus, ex chylo chy-
s, ex chymo chymus.

*Argum. V.*

Quæcunq; sententia causas æquivo-
agentes à generatione excludit, illa
renda non est. Sentencia, quâ rerum
neratio per semina tanquam forma-
rum

rum traduces fieri ſtatuitur, cauſas æquivocè agentes à generatione excludit. Ergò ferenda non eſt.

*Argum. V.*

Quæcunq; ſententia omnia miſta inanimata à generatorum cenſu excludit, mutuamq; elementorum tranſmutationem negat, illa tollenda eſt. Sententia quâ rerum generatio per ſemina tanquam formarum traduces fieri ſtatuitur, omnia miſta inanimata à generatorum cenſu excludit, mutuamq; elementorum tranſmutationem negat. Ergò tollenda eſt. Minor probatur, quia nullum exanime producit ſemen, niſi quis, lapides & ſaxa vivere, juxta Paracelſicam abſurditatem defendere & amplecti ſuſtineat.

## Adverſarij Verba.

### Thesis VII.

*Actu formas à generante propagari qui ſtatuunt, dicant, an à formis efficientium ſint ſeparatæ tanquam portiones, vel in ſubjecto aliquo (puta ſemine) genitæ aut erunt ex nihilo. Primum non procedit ex allegatis cauſis; ſecundum ſi admittis, forma in ſemine erit*

ne erit actu existentiali, re non existente. In ovo erit forma ovi per quam existit, ultimata & forma pulli existentialis atq; ultimata pullo non existente, eritq; & subsistabit res una & eadem duobus actibus specificis & ultimatis. Relinquitur proinde ex nihilo (quod absurdum) vel ex potentia materia formas proferri. Verum duas formas specificas non posse esse in eadem materia, immobile est veritatis ab omni antiquitate principium. Nulla siquidem forma materiatorum ultimata, in re aliqua esse potest, ubi non informet, & uti extra eandem non existit, sic ubicunq; in eadem est, informat, quod forma & formatum sint tempore simul, juxta verioris philosophiæ antiquissima decreta, & principia irrefragabilia, & quod est actus rei quæ facit ut res sit in actu; si enim præsente existentiali & ultimata forma, res sit adhuc informis, res eadem simul non erit & actuerit. Ubi itaq; forma tanquam in subjecto est, ibi informat: Extra se generat efficiens, non ex se, neq; in se. Ex forma per sui multiplicationem propagatione sequetur hoc, quod ex ovo non fiet pullus sed ovum, quemadmodum ex cane canis, & ex cibo non fiet chylus sed alius, ex chylo non lympha vel sanguis, sed chylus.

THE-

THESIS VIII.

*Statuere omnium rerum generationem fieri per semina tanquam formarum traduces, est æquivocè agentes causas à generatione, & omnia mista inanimata à generatorum censu excludere, mutuamq; elementorum transmutationem negare. Nullum siquidem exanime producit semen, nisi quis lapides & saxa vivere, juxta Paracelsicam absurditatem defendere & amplecti sustineat. Ab æquivocè agentibus causis generata, primo nonnibil dispiciemus, de cæteris in progressu latius agetur.*

## Responsiones Generales.

### 1. *Adversarius non distinguit formæ actum Formalem ab Entitativo.*

Ἔκθεσις.

Putat formam semper & ubique sua exequi munia, ac impossibile esse sine formali officio dari & esse alicubi formam. Verum contrarium dictitat Natura, quæ formæ actum *Entitativum* à *Formali* benè distinguendum esse monet. Actus *Entitativus* notat nudam formæ

*Forma actus Entitativus quid.*

mæ entitatem seu essentiam, aut substantiam: *Formalis* autem formæ influxum, quo materiam actuat, determinat, & specificat. Sæpè in corpore quodam forma quoad actum Entitativum, seu substantiam & entitatem suam, adest: quoad actum Formalem verò, seu officium suum & influxum aliàs debitum, ob materiæ inhabilitatem, abest. Sic muscæ ingruente hyeme conglomerantur, & conglomeratæ in templis post tabulas, aut in ædibus circa cloacas, semimortuæ delitescunt; Vere verò calore Solis tepefactæ quasi revivicunt; vitalesq; operationes vicissim xpediunt. Et discessum hirundinum ctiùs si pensitemus, formæ actum Entitativum absq; Formali esse posse, facilè eprehendemus. Qua de re elegant *Dn. Doct. Franzius in Hist. Anim. Sacr.* ap. 21. p. m. 512. *Quod attinet*, inquit, *l ipsum discessum hirundinum, non omnes eunt, sed multæ remanent. Quædam à nos remotiores, per maria volitant in calidas giones, quædam circa maria sese submernt, aut occultant in locis saxosis, quia cùm are sit salsum, ideò vicina loca calefacit. uædam verò saltem in montes aliquos pro-*

*Formæ actus Formalis quid.*

*Exempl. de muscis.*

*Discessus hirundinum.*



*pin-*

*pinquos recedunt, & latent, reperiunturq́ implumes & nudæ in petris & angustius convallium. Aliqui sunt, qui hirundinibus rubra fila alligarunt. Etsi autem per totam hyemem non conspiciebantur istæ hirundines, tamen sub initium veris redibant & habebant illud ipsum filum rubrum. Huc pertinet quod Jerem. 8. cap. exprobratur Judæis, quod nequeant agnoscere tempus visitationis, cum grus & hirundo & ciconia norit tempus sui adventus. Georgius Major in explicatione super Epistolam Pauli 1. Corinth. 15. refert, seipsum observasse in hoc oppido Wittebergâ, & in mediâ hyeme reperisse in nidis hirundines mortuas. Immò in incisis putridis quercubus, & aliis concavis pulvere intus scatentibus arboribus sæpè glomeratim invicem adhærentes deprehensæ fuerunt. Hinc Ecclesia præsertim primitiva usa fuit similitudine contra Ethnicos pro resurrectione mortuorum. Sicut enim hirundines & muscæ & aliæ aves atq; alia insecta hyeme intermoriuntur, & sub vernum tempus reviviscunt: ita quoque nostra corpora intereunt, sed in ultimo die vivificabuntur.*

*Exempl. de ranis.* Et de ranis, omnibus notum est, quod hyeme se abscondant, & quasi mortuæ in rimis terrarum latitent, calore

lore verno verò ſuſcitatæ, magno velut agmine facto, in magnâ & copiâ & quãtitate proruant. In hiſcè ergò, & ſimilibus, actum formarum Entitativum habemus, Formalem nõ deprehendimꝰ, aut ſi quid de Formali adeſt, id perexiguum erit. Non abſimili ſenſu *Fortun. Licetus Lib. 2. de Spontan. Vivent. Ortu c. 36.* formam & animam in cadavere eſſe, ait, non ut forma ineſt in materiâ, illi tribuens eſſe vivum & animatum, ſed ut in vaſe aut loco, ex neceſſitate materiæ. Ubi autem Formalis actus adeſt, ibi iterum vel *ſimpliciter*, vel *ſecundum quid* adeſt. Simpliciter ſi adeſt, dat tria: 1. *Eſſe.* 2. *Diſtingui.* 3. *Operari.* Et de hoc actu paſſim Autores loquuntur, cum formarum dignitates & officia rimantur. Hoc ſenſu poſitâ animâ rationali ponitur homo, & poſitâ animâ canis ponitur canis, quoad eſſe, & quoad diſtingui, & quoad operari. Secundum quid verò ſi actꝰ formalis adeſt, materia ſaltem ad certã ſpeciem determinatur, ſpecies autem, ut natura eam vult conſtitutam, nõ eſt; operationes etiã, quæ ibi adſunt, es nondũ ſunt, quales à ſpecie conſtiâ natura efflagitat. Et hoc actu formę

*Quomodo anima in cadavere.*

*Actus Formalis duplex.*

*Quo actu forma insint seminibus.* sunt in seminibus, ubi quidem non planè quiescunt, sed tamen etiam cuncta officii munia non expediunt; ubi quidem constituunt aliquid, sed non id quod natura ultimò intendit.

## II. *Adversarius statum Controversiæ mutat.*

Ἔκθεσις.

*Status Controversiæ.* Clariss. & Excellentiss. Dn. D. *Sennertus*, cum formas sese propagare & multiplicare, ita ut omnis generatio univoca sit, asserit, ad species Mundi in generationis opere ferventes respicit. Huic sese opponit Adversarius, assumptis exemplis de ovo mutato in pullum, de cibo è quo fit chylus, de chylo è quo fit chymus, & de chymo è quo fit caro. Verùm, quis non videt jam mutari statum Controversiæ? Quis non manibus palpat lusum Adversarii puerilem? Non enim quæritur, an omnis corporum naturalium mutatio ita fiat, ut semper factum & faciens ejusdem sint rationis & speciei, & ut forsan panis fiat à pane, cerevisia à cerevisiâ, & calceus à calceo: sed id controvertitur, an in generationibus Causa Principalis

palis ejusdem speciei sit cum genito? Et, an generans (v. gr. canis, lupus, equus, anser, gallus, quercus, morus, absinthium, tanacetum &c.) nudam materiam cum aliquali potentiâ communicet, an verò formam ipsam actu in semine hærentem & latentem producat? Chylus ergò & chymus quid ad generantia? Ovum quid ad corporum naturalium species? Suntné Chylus, Chymus, & Ovum species Mundi?

## II. *Adversarius frustrà ad verioris Philosophiæ antiquissima decreta & principia recurrit.*

Ἔκθεσις.

Antiquissimum Adversario est verissimum, unde semper antiquitatis urget decreta & dicteria. Sed hac de re cum suprà dictum, actum agere nolo. Salem duo addo: 1. Antiquissimum est verissimum, scilicet quod ἁπλῶς est antiquissimum, cùm veritas sit prior mendacio: non autem antiquissimum secundum quid, cum etiam ante aliquot mille annos falsa & audiri & credi potuerint. Hinc ex Augustino (Libr. de

*ἁπλῶς antiquissimum verissimum.*

 Quæst.

Quæſt. V. & N. T. q. 114.) fertur: *Hic eſt mos Diabolicus, ut per Antiquitatis traducem commendetur fallacia.* 2. Decreta & principia Philoſophorum, nõ ſunt protinus decreta & principia Philoſophiæ. Diſtinguendum enim inter Philoſophiam & Philoſophum, nec quod hic proponit, illi ſtatim imputandum. Multa ſanè ſunt Philoſophi, quæ non ſunt Philoſophiæ, multa Medici quæ non ſunt Medicinæ, multaq; Theologi quæ non ſunt Theologiæ. Cautè ergò procedendum, ne pro auro ſcorias, pro veritate hominum placita, & pro ſapientiâ nonnullorum ſomnia, acceptemus, defenſemus. Quod ut fiat, nunquam Libris & Autoribus ſolis fidendum, ſed inprimis Natura conſulenda, & magnus ille Creationis liber, non tribus ſaltem paginis & totidem literis, ut voluêre nonnulli, ſed tot paginis quot ſpeciebus, & tot literis quot partibus & particulis, conſtans, volvendus & revolvendus.

*Differunt Philoſophus & Philoſophia.*

*Solis Autoribus nõ fidendum, ſed inprimis Creationis Liber legendus.*

## Reſponſiones Speciales.

### *Ad Argum. I.*

Antecedens eſſe negamus. Formæ enim & *in ſubjecto* & *ex nihilo* genitę ſunt. In ſub-

In subjecto genitæ sunt, quia generatio non nisi certâ mediante materiâ perficitur. Ex nihilo genitæ sunt, quia non sunt entia composita aut mixta, quæ è certâ materiâ fingi & è principiis componibilibus & miscibilibus conflari debeant. Principia enim, ad mentem Aristotelis, non sint ex aliis. 1. Phys. c. 5. t. 42. Nec est, quod excipiat Adversarius, *si formæ in subjecto genitæ sunt, erit forma in semine actu existentiali, re non existente. & res una substabit duobus actibus specificis:* ibi 1. non adeò benè pro actu *formali* substituit *existentialem.* 2. formæ actum entitativum confundit cum *formali,* & formalem *secundum quid* cum formali *simpliciter.* Non enim sequitur, ubi est forma, ibi actum formalem & quidem simpliciter ita dictum, exercet. Ad huius enim exercitium plura requiruntur. Sic forma terræ est in homine, nec tamen in eo actum formalem & specificũ exercet: & animæ sæpè alicubi sunt, ubi tamen munia & officia sua non expediunt, ut patet de ligatis tempore hyberno muscarum, ranarum, & hirundinum formis. 3. malè etiam quamlibet formam esse specificam existimat.

*Formæ in subjecto genitæ.* *Formæ è nihilo genitæ.* *Object.* *Respons.* *Forma Existentialis tunc dabitur, cum Subsistentialis dabitur.* *Formæ non semper officium suum formale exercent.*

*Nō omnes forma sunt specifica.* Non enim ſequitur, ſi in ovo eſt forma ovi & etiam forma pulli, ergò ibi adeſt duplex actus ſpecificus. Cur non pari modo colligit Adverſarius; Si in ovo eſt forma ovi, & forma terræ, & forma aëris, & forma ignis, & forma aquæ, ſequitur quod quintuplex actus ſpecificus ibi adſit. Non enim negabit, puto, in ovo dari formas quatuor Elementorum. Forma ergò pulli in ovo ſpecifica non eſt, licet ibi adſit & quoad actum Entitativum, & quoad actum formalem ſecundum quid ita dictum.

*Ad Argum. II.*

Adverſarius ſuetum ſuum errat errorem. Nempè, formam ſemper & ubiq; eſſe ultimatam & ſpecificam. Falſa ergò eſt Minor, de animabus quocunq; modo alicubi degentibus. Probatio ita nudè ſumpta planè nulla eſt, aliàs ſic argumentarer: *Poſitâ formâ, ponitur formatum. Poſt mortem Petri, ponitur forma Petri. Ergò poſt mortem Petri, ponitur Petrus.* It: *Poſitâ formâ, ponitur formatum. In ſurculo ponitur forma quercus. Ergò ſurculus eſt quercus.* Vel: *Poſitâ formâ, ponitur formatum. In manu ponitur forma hominis. Ergò manus eſt homo.* Licet

*An, & quo modo, poſitâ formâ ponatur formatū.*

igitur

igitur forma alicubi adsit, si tamen formale suum officium plenariè non exerceat, à præsentiâ formæ ad præsentiam formati argumentari non possumus. Et quamvis excipere tentet Adversarius: *Ubi est forma tanquam in subjecto, ibi informat. In semine est forma tanquam in subjecto. Ergò ibi informat:* Tamen nec subjecti, nec informationis rationem attendit. Ubi est forma tanquam in subjecto rectè disposito & elaborato, ibi informat, hoc est, rei suum esse, suas affectiones, & suas operationes largitur. Sed cum alicubi est, vel ut in vase, (ut loquitur Clariss. Licetus) vel ut in indisposito & inelaborato, (ut ait subtilis Scaliger) ibi prius debet disponere & elaborare, & tandem hoc peracto informare, seu speciem constituere, & constitutæ affectiones & effectiones tribuere. In semine itaq; est forma, non sinè ut in subjecto elaborato & disposito: ergò & formatum, ad cujus constitutionem utriusq; principii justa requiritur dispositio & ratio, ibi ponere necessum non est. *Except.* *Resp.*

*Ad Argum. III.*

Minor est inepta, Qualis quæso con-

*Quomodo simile à simili.* sequentia, si ex cane fit canis, etiam ex ovo fiet ovum, ex cibo cibus, ex chylo chylus, & ex chymo chymus, ac forsan ex pane panis, & ex fornace fornax? Hoc sanè est à baculo ad angulum. Quo ad Causas Principales stat illa univocatio, non quoad Instrumentales; & quoad generationes introducta est, non quoad quascunq; mutationes. Ridiculum ergò est, à canis generatione ad cibi in chylum conversionem, & nescio ad quæ non, argumentari velle.

*Ad Argum. IV.*

*Quomodo in generationibus causæ æquivocæ locum habeant, & quomodo non.* Dupliciter dicitur & intelligitur, causas Æquivocè agentes à generatione excludi. Vel enim id de causis *Universalibus*, vel de *Particularibus* asseritur. Quoad Universales Minor est falsa. Cum enim Sol & homo generant hominem, utiq; causa Æquivoca à generatione non excluditur. Sol enim non Univoca causa est, quia sic non hominem, verum alium Solem produceret; sed Æquivoca, quia in talem influit effectum qui ab eo diversus est specie. Quoad Particulares causas, omninò genitum à causâ, non æquivocè, sed univocè agente, producitur. Nec enim

ad

ad Cœlum, nec ad astra, nec ad calorem, nec ad putredinem, nec ad dispositionem, nec ad simile quid, tutò recurri potest, cum 1. Effectus particularis & determinatus particularem & determinatam postulet causam. 2. Substantia ab accidente provenire nequeat, siquidem effectus nobilior non est suâ causâ. 3. Substantia producenda præter materiæ dispositionem etiam causam efficientem necessariò & inevitabiliter desideret. Quâ de re plura in Tractat. de Morb. Tot. Subst. Antith. Quæst. 4. & ad Except. Respons. 3. dictum.

*Cur genitum à causâ Univocâ producatur.*

*Ad Argum. V.*

Duo Majoris sunt membra, quorum prius est de mistorum inanimatorum à ensu generatorum exclusione; posterius, de mutuâ Elementorum transmutatione. Quoad prius membrum, Majorem lubenter concedimus, quia non solum animata, sed etiam inanimata multiplicantur & renascuntur. *Etsi enim, ut Clariss. & Exper. Dn. Sennertus in Consens. & Diss. Cap. 9. aurum igne excoctum aut fusum in agrum conjectũ & satum se nõ multiplicet: quin tamen in terra cavernis, & locis, ubi*

*Multiplicatio Metallorum, aliorumq; inanimatorum.*

*ubi metalla crescunt, id fiat, nihil probibet; cùm aurum & reliqua metalla non semper eâ formâ, quam fusa habent, generentur, sed sæpè immatura reperiantur, ac temporis progressu maturentur. Præterea certum est, exhaustas venas aluminis, vitrioli, imò metallorum, post aliqua temporum intervalla, iterum fæcundas reddi, & metallis ac mineralibus repleri.* Sed sic concessâ Majore, falsa fit Minor. Sententia enim de traduce, quomodo inanimata à generatorum censu excludat, non patet, siquidem etiam ibi simile est à simili, & aurum ab auro, gemma à gemmâ, lapis à lapide. Adversarij probatio Minoris est illa, *quia nullum exanime producit semen, nisi quis lapides & saxa vivere, juxta Paracelsicam absurditatem defendere & amplecti sustineat.* Ubi transeat, quod negari possit, & absurditatem, & Paracelsicam absurditatem esse, vitam lapidibus & metallis adscribere. Semina ad metalla, lapides, & gemmas spectare, non dubito. Licet enim alio modo sese habeat semen in viventibus, nihilominus tamen non-viventibus exinde negandum non est: sicut etiam longè alio modo se habent semina plantarum & ani-

*Non omne falsum, est absurdũ.*

*Metalla an careãt principio seminali.*

animalium, nec tamen ob hæc negantur illa. Quâ de re multa egregia passim habet *Experientiss. Dn. D. Sennertus.* Adducam locum è Physicis, qui licet de gemmis & lapidibus in specie agat, alia inanimata tamen non excludit sed includit, cùm de similibus idem sit judicium. *Ut autem*, inquit in Epit. Physs. Lib. 5. cap. 4. *varij lapides & gemmæ generentur, id à specificâ cujusq; formâ proficiscitur. Habet enim quævis gemma propriam & specificam formam quâ ab aliis omnibus discernitur, quam à seminali, ut sic dicam, ui generis principio nanciscitur. Quæ non x Elementorum mistura provenit, sed, ut ectè Scaliger nominat, essentia quinta est, à )eo Opt. Max. in primâ rerum creatione uic naturalium rerum generi indita. Quod minale principium & spiritus architecto icus etsi in peculiariter distincto corpore, t in plantis plerisq;, non apparet, neq; etm ejus essentia satis explicari possit: idrcò tamen negandum non est. Ut enim sa x, etsi semen non gignat, ut aliæ plantæ: men principium seminale per totam arbom dispersum habet, & hinc per ramum nputatum propagatur: ita & seminale mmarum ac lapidum principium, in materiâ*

*teriâ lapidificâ latet; & in hac humanâ mentis caligine ejus essentia nobis ignota est, ut reliquæ formæ omnes; & non nisi ex facultatum & operationum ac qualitatum diversitate illarum differentia cognoscitur.*

Quoad posterius Majoris membrum, de mutuâ Elementorum transmutatione, nego Majorem. Quamvis enim Elementa mutuò inter se transmutari docuerit Aristoteles, & ante Aristotelem Ocellus Lucanus: tamen hoc probatu difficilimum, imò impossibile, est. Probant quidem transmutationem hanc 1. ex *Experientiâ*, 2. ex *alteratione*. 3. ex *contrarietate*. 4. *à generabilitate*: sed Experientia illa vacillat, quia in aere fieri aquam, sed non ex aere dictitat; ab Alteratione ad Generationem nulla est cõsequentia, imò eadem, si non majora, de Elementorum alteratione, quàm de eorum transmutatione, recurrunt dubia; & si omnia contraria substantialiter in se invicem transmutari debent, etiam serpens mutabitur in hominem, accipiter in columbam, & lupus in ovem; & à generabilitate Elementorum ad mutuam eorum transmutationem argumentari, nimis larga est collectio.

*Elementorũ transmutatio caret fundamento.*

Quã

Quâ de Controversiâ plura habet *Clariß. & Excellentiß. Dn.M.Johannes Scharfius in hac Academia Log. & Metaph. P. P. in Phys. Recogn. Part. Spec.* Lib.1. Cap.5. Dub.1. pag. 463. seq. E *Francisco Patritio* nonnulla subtilitate plenissima & utilitate refertissima addere, iisq; Pentadem hanc concludere, lubet. Ita autem ille n *Discuss. Peripat. Tom.4 Lib 3. p.395. Vulatißima est sententia, omnia Elementa in invicem transmutari, terram fieri aquam, & contrà aquam fieri terram, aquam itiem verti in aerem, & conversim: nec non erem in ignem transmutari, rursus ignem i aerem. Si non prorsus negem eam transutationem fieri, sed dubitem vehementer, it addubitem paulum, quibusnam ratiobus id mihi persuadebitur? aut quibus exrimentis ostendetur? Non dico de totis mentis, de partibus eorum quaero. Certè mo unquam vidit partem Sphaera ignis in rem conversam, quando etiam totam ignis aeram nemo aspexit unquam, aut vidit quam quisquam aeris partem in eum ignẽ nsire, rationibus id creditur, duo haec elenta habere symbolum inter se caliditatem m, e â alterum in alterũ transmutari conu mutuo. Quaero, ratio haec mihi ostẽdat, an sem-*

*Aurea verba Fr. Patritij de Elementorum transmutatione*

*an semper transmutatio hæc fiat, an temporibus interpolatis? Si dicatur, semper fieri, rogabo, quarum partium? earumne, quæ in contactu continuo sunt, an longinquarum? Non puto dicturos, longinquarum, cum actio & passio, ex Aristotelis dogmate, per contactum fiat. Earum ergò partium fit, quæ sese mutuò contingunt, convexo scilicet aeris & concavo ignis? concedent puto. Tunc interrogabo, an tota superficies aeris convexa in ignem transmutetur? an semper? & si tota & semper, cur tandem totus aer, jam multis seculis in ignem non est conversus? Si non tota & non semper, cur hæc pars transmutetur, illa nequaquam? cur nunc, non heri? Eadem de partibus concavi ignis interrogationes adhibebuntur, si prostent asseverare. Sed si nec tota, nec semper, hæc autem pars & illa, & hodiè, transmutatur, & non nudius tertius, causa aliqua est assignanda. Si cœlorum variam agitationem dicent, concedemus cœlum agitari indies variè. At rogabimus, an observatum sit ibi ea elementa permutari? Si nullam afferent observationem, cur causam somniant rei, quæ fortè nunquã facta est, nunquam certè visa. Si conjectatione id asseverabunt, tunc rogabimus, eam conjectationem proferre non dedignentur.*

*Si di-*

licent necessariò id fieri ex causâ univer-
, quia elemẽta in se invicem mutuò trans-
tentur, jam hæc est principij petitio. In
i laborare non laborabimus. Sed quid pro-
â sensibus versamur utriq; ? Præ oculis NB. NB.
t nostrates hic aer, aqua, terra. Dicat mi-
le numero istorum philosophorum aliquis,
unquam viderint, observarint, aerem in
am converti? Scio ego, vidi, concedam,
iquâ & terrâ in aërem vapores ascende-
aerem eos fieri nemò unquam vidit. In
ulas eos constringi, rursus in aquam re-
i, rationi, non oculis credimus. Aerem
ndo unquam quisquam in aquam con-
sum vidit? dicant, proferant experimen-
, aut aquam terram factam, aut hanc a-
m? Vidimus sæpè ad fenestras balnei, ad
mnas, ad parietes aquam adnatam.
ulti asserunt, aerem ea loca contingen-
aquam factum. Ajo ego, vapores eos
e. Quibus rationibus, aut sensibus con-
ent, non vapores sed aerem fuisse? Ha-
go ollarum experimentum, in quarum
culis, vapor exhalans, non aer, in aquã
rescit. Habeo Aristotelis confessionem,
ores in aere nubes facere, deinde plu-
, fortè nunquam aerem in pluviam di-
conversum. At dixit aerem in aquam

*transmutari. Scio eum dixisse, sed experimentum cur non attulit? Adferant sui pro eo, usq; ad id tempus res dubia esto. Sed interim Philosophis his non sensatis, sed omnium maximè sensum profitentibus, non credatur. Idem ajo de aquæ in terram conversione, atq; è contrà. Videmus quotidiè aquam à terrâ absorberi, terram fieri non videmus nisi quis Aristoteli credere, videre credat esse. Terram aquâ dilui quotidiè videmus, videmus cessante agitatione terram subsidere non tamen transisse in aquam, nec transire. Abjiciemus ergò Authoritates omnes, dicta, pronunciata, universales rationes omnes, quæ in rebus sensatis cum experimentis non concordent.* Τοῦτο γὰρ ζητεῖν λόγον, ἀφέντας τὴν αἴσθησιν, ἀῤῥωστία τίς ἐστιν διανοίας. *Hujus enim quærere rationem dimisso sensu, debilitas quædam est intellectus. Præceptore ipso nos admonente. Nisi ergò rationes experimentis consonabunt, in verâ Philosophiâ non admittemus. Non est ergò comprobatum, elementa mutuò transmutari. Neque ulla est causa, cur id isti philosophi finxerint.* Hæc Patritius.

PENTAS

*Argum. I.*

Si in ſterquilinio vi cœleſtis opera-
nis generatione æquivocâ produci-
forma,ea vel à cœlo infundetur,vel
s virtute ex potentiâ materiæ gene-
itur. Sed à cœlo non infunditur.
ò ex potentiâ materiæ generatur.
ıor probatur, quia ſi à Cœlo dimit-
r, erit ibidem formarum congeries
nferiores ablegandarum, quæ ſunt
orruptibiles, ſine materiæ conſor-
exiſtere potentes, nihil adverſi à
ı corrumpantur habentes, cum for-
nihil ſit contrarium, imò, ſi peri-
, in nihilum redigerentur.

*Argum. II.*

forma in ſterquilinio vi cœleſtis o-
ıtionis generatione æquivocâ pro-
a non eſt à Cœlo oriunda, ſequi-
am vel anteà actu extitiſſe in mate-
vel ex materiæ potentiâ eductam
e. Sed non eſt à Cœlo oriunda,
ſic forma fieret diviſibilis, & cœ-
fieret forma inferiorum. Ergò
ctu extitit in materiâ, vel ex mate-
ıotentiâ educta fuit.

Jam actu formam scarabæi in sterquilinio esse, absurdum est, sequitur enim equum generare formas scarabæi, & cōsequenter scarabæum, ut canis canem. Ergò è materiæ potentiâ educta fuit.

*Argum. III.*

Si formæ ex potentiâ materiæ non exsurgunt, & semper ab existente priore dividuntur, dicant, quænám forma ignis hoc elemento prior eam ex materiâ primâ produxerit? Sed dicere hoc nequeunt, Ergò concedant prius.

*Argum. IV.*

Si forma ignis est à forma ignis ab initio à creatore factâ, cur non ex materiæ primæ potentiâ elementorum formæ primitus vi creatoris productæ sunt, ut animantium animæ ex Elementis?

*Argum. V.*

Quicunq; formas non vult educi ex potentiâ materiæ, ille concedere cogitur ex aere generari ignem, quia anteà in aere erat forma ignis, ut forma canis in semine canis, materiam sibi præparans. Dn. Sennertus formas non vult educi ex potentiâ materiæ. Ergò concedere cogitur ex aere generari ignem,

quia

quia anteà in aere erat forma ignis, ut forma canis in semine canis, materiam sibi præparans. Major patet, quia mutua Elementorum transmutatio negari nõ potest.

## Adversarij Verba.

### Thesis IX.

*Si in sterquilinio vi cœlestis operationis generatione æquivoca producitur forma, ea vel à cœlo infundetur, vel ejus virtute ex potentia materiæ generabitur: à Cœlo si dimittatur, erit ibidem formarum congeries ad inferiores ablegandarum, quæ per se necessariò sint incorruptibiles ad instar animæ rationalis sine materiæ consortio existere potentes, quæq; materiæ recedente cum eadem non intercidant, quod ante ejus congressum exstiterint nec quicquam adversi habeant à quo corrumpantur, cum formis nihil sit contrarium. Omne enim quod intercidit à contrario vel potentiore perit.*

*Quinimò si perirent in nihilum redigerentur, siquidem non redeant in potentiam materiæ Elementaris, cum ex ea non exsurrexerint. Atqui uti nulla res ex nihilo generatur, ita quoque nulla in nihilum redigitur. Aut forma Cœlo oriunda erit, & sic forma*

*erit divisibilis, & cælum erit forma inferiorum, quod philosophia sana non admittit: relinquitur proinde materia in qua vel antea actu erant formæ, vel ex cujus potentia educebantur. Actu formam scarabæi in sterquilinio esse absurdum est, sequitur enim equum generare formas scarabæi, & consequenter scarabæum, uti canis canem juxta Scalig. & Themistium, neque est quod dicas in generatione murium ex quisquiliis ranarum ex limo, & scarabæorum ex sterquilinio primò aliquid generari quod semini simile sit; quæretur enim à qua forma inferiorum id fiat, annon à cælo quæ hoc pacto & materiam præparat & formam educit? Ex quo pariter liquet, formarum propagationem per semina, à principio continua serie generantia, intercidere.*

THESIS X.

*Superest igitur ut admittatur formas ex potentia materiæ produci, vel explicetur commode unde oriantur. Neque enim ex nihilo fiunt aut in nihilum rediguntur, neq; ex Cælo sunt, neq; ex aliarum divisione aut particulatione. Agedum nega ex potentia materiæ eas exsurgere & semper ab existente priore alia dividi: quæ itaq; forma ignis hoc elemento prior eam ex materia prima produxit*

*xit. Neque enim hanc ex ſupra allegatis gare neque ſubjectum mutationis inficiari ſumus. Dic ab initio à creatore ex eadem rmata cur non ex ejus potentia elementom formæ primitus vi creatoris productæ i animantium animæ ex Elementis? Nere verò non potes mutuam eorum transutationẽ, an itaq; ex aere generatur ignis, ia antea in aere erat forma ignis, uti fora canis in ſemine canis ſibi materiam præarans? Hic nova generationis ratio commiſcenda, videlicet formarum mutua expulo aut propagatio, de qua poſtea.*

## Reſponſio Generalis.

### *Adverſarius abutitur principiis Ariſtotelicis.*

Ἔκθεσις.

Principia Ariſtotelica ſunt: *Nulla res ex nihilo generatur: Nulla res in nihilum redigitur*, & *Subſtantiæ nihil eſt contrarium.* Hinc Adverſarius concludit, formam non fieri ex nihilo, formam non redigi in nihilum, & formam nullum habere contrarium. Omnia ſine re & fundamento. Priora n. duo Ariſtotelicorum

*Principiorum Ariſtotelicorũ abuſus.*

*Quid Aristotelicis ex nihilo non generetur, & in nihilũ non redigatur.*

dicteria, de compositis & principiatis intelligenda sunt, non de principiis. Composita enim ad mentem Aristotelicorum saltem & generantur & corrumpuntur. Ergò cum generantur, ex aliquo generantur, & cum corrumpuntur, in aliquid corrumpuntur, propter materiam primam quam statuunt ingenerabilem & incorruptibilem. Quicunq; ergò Canones hos trahit ad formas, ille principiis Aristotelicorum abutitur. Adversarius Canones hos trahit ad formas. Ergò Adversarius principiis Aristotelicorum abutitur. Tertium Aristotelicorum effatum, illimitatè intelligendum non est. Hinc Aristotelici id limitant hoc pacto: Substantiæ nihil est contrarium, scilicet *terminativè & immediatè*. Hoc est, Substantiæ in se & ex se, ratione suæ naturæ & essentiæ spectatæ, nihil est contrarium: substantiæ verò in & cum accidentibus suis consideratæ utiq; multa sunt contraria. Hinc homo homini lupus est, non propter substantiam, sed ob invidiam, ob fastum, ob odium, & qualitatem similem: & Diabolus contrariatur Deo & hominibus, non ratione substantiæ,

*Quomodo substãtiis nihil sit contrarium.*

d ob ſuperbiam & malitiam: & ignis ontrariatur aquæ ob caliditatem, lu- is ovi ob qualitatem occultam &c. tque ſic formis etiam licet nihil con- arium ſit *terminativè & immediatè*: ta- ien utiq; etiam illæ mediantibus qua- tatibus ſuos habent hoſtes & Adver- rios. Datam diſtinctionem ſi negat dverſarius, quomodo quæſo Elemen- orum defendere poterit transmuta- iones? Ita enim argumentor: *Quibus- unq; nihil eſt contrarium, illa nec mutan ur, nec inter ſe transmutantur. Elementis nihil eſt contrarium. Ergò Elementa nec mutantur, nec inter ſe transmutantur.* Major probatur, quia mutatio Ariſtotelicis (à quorum partibus ſtat Adverſarius) eſt à contrario in contrarium & inter contraria. Minor probatur, quia ſunt ſubſtantiæ.

*Adverſarius negare cogitur Elementorum trãsmutationem.*

## Reſponſiones Speciales.

### *Ad Argum. I.*

Hypotheſi non poſitâ in Syllogiſmis Hypotheticis, nihil concluditur. Si Cœlum ruit, perimus. Sed, quid ſi non ruit? Dicit Adverſarius, ſi in ſterquilinio

 vi cœ-

*Cœlum in ſterquilinio animã non facit.*

vi cœleſtis operationis generatione æquivocâ producitur forma, ea vel infunditur, vel educitur. Sed, quid ſi in ſterquilinio vi cœleſtis operationis generatione æquivocâ non producitur forma? Quod autem ita non producatur, dictum probatumq; ſuprà.

*Ad Argum. II.*

Tranſeat, ut modò dictum, quod generatione æquivocâ vi cœleſtis operationis in ſterquilinio forma non producatur. Tranſeat & quod disjunctivam illegitimè formet. Saltem id tangendum, cur formam ſcarabæi in ſterquilinio actu eſſe putet abſurdum, ſiquidem alii pro vero, non falſo, multò minus pro abſurdo, id habent. Quia, dicit, ſequitur equum generare formas ſcarabæi & conſequenter ſcarabæum, ut canis canem. Bella conſequentia! Do inſtantiam de formis Elementorum: Si formæ Elementorum actu ſunt in ſterquilinio, ſequitur equum generare formam ignis, formam aeris, formam aquæ, & formam terræ, ac conſequenter ignem, aerem, aquam, & terram, ut canis canem. Rectiùs *Fortunatus Licetus*, animam ſcarabæi actu in cadavere (& ſi

*Anima ſcarabæi actu in ſterquilinio.*

in ca-

in cadavere, cur non etiam in ſterquilinio?) equi eſſe dictitat, & ſenſu hoc ab Ariſtotele, animarũ plena eſſe omnia, dictum fuiſſe judicat. *Inprimis enim,* ait Libr. 2. de Spontan. Vivent. Ortu. Cap. 36. *materia, ex qua proximè oriuntur viventia ſponte naſcentia, eſt purum putumq́; cadaver: ſed in cadavere anima non ineſt ut forma in materia illi tribuens eſſe vivens & animatum; verum in eo eſſe poteſt, ut in vaſe ex neceſſitate materiæ; quod & dudum vidimus, & mox apparebit. Forma igitur & anima, à quâ velut efficiente univoco, proximè fiunt viventia ſpontè naſcentia, præexiſtit in eorum materiâ quæ cadaver eſt, ut in vaſe, nihil illi tribuens.* Plura ſuprà in Theſibus de formis Subordinatis.

*Quomodo animæ ſint in cadavere.*

*Ad Argum. III.*

Tranſeant, quæ è ſuperioribus de diviſione formarum nota eſſe queunt. Si Adverſarius inter Ethnicos & natus & educatus eſſet, quæſtionis hujus non nullam forſan habere poſſet rationem. Verùm Chriſtianum eſſe, & in Sacris omnes ſpecies Mundi à Deo creatas, obnoxiasq́; corruptioni generationis beneficio hucusq́; conſerva-

*Qui Chriſtianus eſt, Creationē ignorare nequit.*

*Autor primi ignis.* servatas, & porrò conservandas esse, legisse ac relegisse, & nihilominus unde vel primus ignis vel primi ignis forma, venerint quærere, est vel ludere, vel S. Scripturæ autoritatem in dubium trahere. Breviter argumentor: *Quicunq; fecit ignem, aerem, aquam, & terram, is etiam fecit formam ignis, aeris, aquæ, & terræ. Deus in creatione Mundi fecit ignem, aerem, aquam & terram. Ergò Deus etiam in creatione Mundi fecit formam ignis, aeris, aquæ & terræ.* Major patet, quia ut ignis, aer, aqua, & terra, sine materiâ non fiebant, ita nec sine formâ. Minor est in Cap. I. Genes.

*Ad Argum. IV.*

*Cur formæ Elementorũ primitùs è potentiâ materiæ nõ fuerint eductæ.* Quærit Adversarius, cur non ex potentiâ materiæ primæ primitus formæ Elementorum à Deo productæ fuerint, ut animantium animæ ex Elementis? Respondetur 1. Adversarius nescit voluntatem Creatoris esse rationem facti. *Voluntas Creatoris, est ratio facti.* Dicat, cur Deus Mundum sic & non aliter fecerit? Nonné, quia istum sic & nõ aliter facere voluit? Nostrum non est, Deo limites & rationes agendi præfigere & præscribere. Legat Adversarius Caput primum *Genefeos*, & ex quâ ma-

teriæ

teriæ primæ potentiâ species Mundi prodierint, à Mose, imò ipso *Spiritu S.* sufficienter percipere valebit. 2. Adversarius confundit Creationem cum Generatione, & malè à rerum creatione ad earundem generationem, & vice versâ ab earum generatione ad illarum creationem, argumentari conatur. Animas animantium ex elementis venisse, ait. Sed quomodo? An per Creationem, an per Generationem? Et, quid inde? Ergoné propterea formæ Elementorum venient è potentiâ materiæ primæ? Nempè, *Capite 1. Gen. v. 20. seq.* ita habet Moses: *Dixit Deus, producant aquæ reptile animæ viventis, & volatile volet super terram in superficie expansionis cæli. Creavit igitur Deus cetos magnos, & omnem animam viventem reptantem, quam produxerunt aquæ juxta speciem suam, jumenta & reptilia, atq; bestias terræ secundum speciem suam, fuitq; ita.* Jam quæritur, quomodo producta fuerint hæc animantia? An per Generationem, an per Creationem? Non puto tàm crassum esse ullum hominum, ut creationem hîc iterus sit inficias. Siquidem creatio, quæ Hexaemero illo absoluta & com-

*A Creatione ad Generationē, & contrà, argumentari non licet.*

*Prima animatorū origo est Creatio.*

& completa fuit, in Capite illo ut in propriâ ſede deſcribitur. Neque refert, quod ex aquâ & terrâ prodierint animantia, quia diſtinguendum eſt inter Creationem *Primam* & *Secundam*. Illa ex nihilo; hæc ex indiſpoſito, inhabili, & inepto, procedit. Hinc à primævâ rerum creatione ad hodiernam earum generationem argumentari non licet. Miſerrimi ergò eſſent Adverſarii Syllogiſmi: *Ex quo productæ fuerunt primitus animæ animantium, ex eo etiam hodiè iſtæ producuntur. Ex elementis productæ fuerunt primitus animæ animantium. Ergò ex elementis etiam hodiè iſtæ producuntur.* It: *Quemadmodum animæ animantium productæ fuerunt ex Elementis, ita etiam formæ Elementorum primitus vi creationis ex potentiâ materiæ primæ ſunt productæ. Sed ſatis benè animæ animantium productæ fuerunt ex Elementis. Ergò etiam ſatis benè formæ Elementorum primitus vi creationis ex potentiâ materiæ primæ ſunt productæ.* It: *Ex quo producta fuerunt primitùs animantia, ex eo etiam producuntur hodiè. Ex aquâ & terrâ producta fuerunt primitùs animantia. Ergò ex aquâ & terrâ etiam producuntur hodiè.* Egregiæ ſanè Majores illæ,

*Creatio Prima. Creatio Secunda.*

illæ, dignæ quæ à tali adferantur Philosopho, & contra *Excellentiß.* & *Experientiß.* urgeantur *Sennertum.* Digniora notatu sunt verba *Dn. Sennerti, in Conf. & Diff. cap. 12.* contra Erastum sic scribentis: *Monstret Erastus, quomodo Deus toti materiæ hanc potestatem indiderit. Ex terrâ & aquâ plantas & animalia produxit Deus, omnibusq; formas suas indidit, jußitq; ut singulæ plantarũ & animalium species sese multiplicarent, & secundum speciem suam semina & fructus ferrent; at quod materiæ toti extra species, potestatem animalia producendi Deus indiderit, nusquã in sacris extat.*

*Ad Argum. V.*

Major est nulla. Quoad probationẽ, utiq; mutuam Elementorum transmutationem negamus, proindeq; novam generationis rationẽ comminisci haud tenemur. Probet ergò Adversarius Elementorum transmutationem, non ex Aristotele, non ex Zabarellâ, non ex ullo alio Autore, sed λόγῳ καὶ πείρᾳ. Nos è propriis Adversarii principiis ita argumentamur: *Quibuscunq; nihil est contrarium, illa substantialiter nec mutari, nec transmutari queunt. Elementis nihil est contrarium. Ergò Elementa substantialiter*

*Elemẽtorum trans mutatio probanda.*

*Adversarius proprio jugulatur gladio.*

*tialiter nec mutari, nec ttansmutari queunt.* Major probatur, quia omnis mutatio eſt à contrario in contrarium. Minor eſt Adverſarij, qui ſubindè ingeminat, formis nihil eſſe contrarium. Quod ſi verum de formis, etiam materiæ nihil erit contrarium, quia materia æquè ac forma ſubſtantia eſt: at ſubſtantiæ nihil contrarium. Imò, Materia Elementorum cum Adverſario ſit Materia Prima, quæ ſtatuitur eſſe ἄποιος, nec *Immediatè*, nec *Mediatè*, contrarium agnoſcit. Si jam nec Materia, nec Forma Elementorum, ullum habent contrarium, cur Elementa mutabuntur, & transmutabuntur? Si nullū ab alio pati, nullumq; in aliud agere poteſt, unde illa transmutatio? Plura ſuprà in *Reſponſ. ad Argum.* V. Pent. Tert.

## PENTAS QUINTA.

### *Argum. I.*

Quicquid eſt cauſa Mixtionum & generationis Æquivocæ, materiamq; ſterquilinij, limi, & quisquiliarum, animare & informare valet, illud etiam & mixta inanimata, & lapides, & metalla formare poteſt. Virtus cœleſtis eſt cauſa mixtio-

tionum & generationis Æquivocæ, materiamque ſterquilinij, limi, & quisquiliarum, animare & informare valet. Ergò virtus cœleſtis etiam & mixta inanimata, & lapides, & metalla formare poteſt.

*Argum. II.*

Si lapis generatur in veſica, vermis in inteſtinis & qualibet corporis parte, & in ulceribus, cur non metalla de novo vi cœleſtium alibi exſurgant? Quis cœlum, quod Scaliger dicit eſſe omnia poteſtate efficiendi, hac privabit virtute? Quis materiam potentiâ recipiendi hanc formam?

*Argum. III.*

Quæcunq; opinio ſtatuit omnia miſta eſſe animata & vitalia, illa ferenda non eſt. Opinio D. Sennerti de traductione formarum, ſtatuit omnia miſta eſſe animata & vitalia. Ergò ferenda non eſt.

*Argum. IV.*

Quicquid ob nobilioris formæ acquiſitionem miſcetur, illud formam acquirendam in ſe non habet. Res naturales ob nobilioris formæ acquiſitionem miſcentur. Ergò formam acqui-

rendam in se non habent. Major probatur, quia si præsens esset forma, ejus acquisitione non foret opus. Minor patet è fine mistionis. Cur enim ex materiâ primâ primò generantur Elementa, & ex Elementis mista, & ex mistis viventia, nisi ut nobiliores producantur formæ, rerumq; essentiæ & genera conserventur?

*Argum. V.*

Si omnis forma, & etiam misti, propagat seipsam, omnis generatio erit univoca, nulla æquivoca. Sed consequens est falsum. Ergò & antecedens. Consequentia Majoris est, quia forma canis non generat porcum, nec forma tritici producit lapidem. Falsitas autem consequentis patet, quia 1. cum ex cibo generatur chylus, ex chylo sanguis, ex sanguine caro & semen, ex semine os, necessum est in cibo præfuisse formam chyli, in chylo sanguinis, in sanguine carnis & seminis, in semine ossis, omniumq; spermaticarum partium, & simul ipsius animantis. 2. otiosæ & frustraneæ erunt, & animæ & animarum facultates ac instrumenta, & partium temperies. 3. omnes formas quæ consequenter ex

cibo prodeunt, in eo præfuiſſe ſtatuere oportebit. Ut enim anima canis eſt in ſemine, ita etiam forma ſanguinis erit in chylo, & forma chyli in cibo, & ſic omnia erunt in omnibus, aut formæ & ſemina vel eſſentiæ ex Iliado & abyſſo vel Orco Bombaſtij in hanc mundi ſcenã venient, perſonasq; aſſument, & corpora ſibi fabricabunt.

## Adverſarij Verba.

### Thesis XI.

*Metalla gemmasq; hinc inde recens generari ubi nulla præfuerint, & herbas hinc inde naſci, quarum ſpecies ibidem ſeminantes ante non exſtiterint, nec ipſe autor negat, allegato, de Gal cum Chym Conſenſ. & Diſſ. libro. & experientia, atq; obſervatio oculotenus teſtatur. Si itaq; virtus cœleſtis eſt cauſa mixtionum & generationis æquivocæ, tam earum rerum quæ ſine ſemine generantur (uti ipſe Sennertus teſtatur in Phyſica ſua, ubi aſſerit, generationis miſti cauſam generalem eſſe cœlum, proximam verò actionem duarum qualitatum) quam quæ ſemen producunt, eoq; mediante ſpeciem propagant, ſi materiam ſterquilinij limi, & quisquiliarum animare & informare valeat,*

 *quidni*

*quidni posset & mixta inanimata & lapides & metalla formare. Si lapis generatur in vesica, vermis in intestinis & qualibet corporis parte & in ulceribus, cur non metalla de novo vi cœlestium alibi exsurgant? quis cœlum, quod Scaliger dicit esse omnia potestate efficiendi, hac privabit virtute? quis materiam potentiâ recipiendi hanc formam.*

THESIS XII.

*Clariss. Sennertus lib. de Gal. cum Chym. Consens. & Diss. fol. 352 inquit. In rerum propagatione, specifica requiritur forma, quã elementorum concursus & mistio temeraria præstare non potest. Forma ergò & anima cujuscunq; rei architecta, & primus motor in mistione est anima & forma cujusq; rei. Hactenus ille.*

THESIS XIII.

*Formam autem hanc efficientis formæ portionem esse, ab eaq; divisum, & per traducem semineum vel quod huic respondet propagatam ut anima canis per semen & plantæ per hoc vel ramum avulsum, sibimet ipsi fabricari domicilium, ibidem docet.*

THESIS XIV.

*Hæc autem opinio statuit omnia mistæ esse animata & vitalia: ubi anima, ibi vita, quia*

vitæ

*vita est actus animæ, sed illud ipsemet it negatum allegato libro, & sequeretur (Paracelsicè) lapides, bilem, sanguinem, aliaq; mista inanimata vivere.*

## Thesis XV.

*Verùm enim verò res ordine multoties miscentur, ut nobiliores acquirantur formæ: si enim præsens esset ejus acquisitione non foret opus: aut igitur res habent illam formam quam natura intendit, & sic non opus est nova mistione ad illam acquirendam: Cur enim ex materia prima primò generantur elementa, & ex elementis mista & ex mistis viventia (omnia enim simpliciter mista vivere simpliciter est absurdum) nisi ut nobiliores producantur formæ, rerumq; essentiæ & genera conserventur. Contemplemur naturæ processum. Si omnis forma & etiam misti propagat seipsam formando sibi corpus, omnis generatio erit univoca nulla æquivoca. Forma canis non generat porcum, nec forma tritici producit lapidem. Cum igitur ex cibo generatur chylus, ex chylo sanguis, ex sanguine caro & semen, ex semine os, necessum est in cibo præfuisse formam chyli, in chylo sanguinis, in sanguine carnis & seminis, in semine oßis omniumq;*

*ſpermaticarum partium & ſimul ipſius animantis. Atqui hoc pacto animam beneficio caloris in ventriculo certa ejusdem idioſyncraſia peculiariter & propriè determinati & commenſurati generare chylum, pariq; ratione chymum in Epate, ſemen in teſtibus erit falſum, & ſic anima humana & calor nativus proximum ejus inſtrumentum, ipſaq; partium temperies, fruſtra erunt & otioſa, quia forma in cibo & in chylo & in chymo &c. cum ſpiritu ſuo inſito habente vim concoctricem virtutesq; ab anima dependentes & neceſſarias, eadem generabit. Omnes porro ex hoc animas, ſeu ut vult formas, quæ ex cibo conſequenter prodeunt in eo præfuiſſe oportebit ſtatuere. Non enim de novo generantur per generationem novi miſti, ſiquidem non generatur chylus, quia generatur chylus, ſed chylus generatur ex cibo, quia in cibo erat forma chyli, uti forma ſeu anima canis in ſemine canis, & ex chylo ſanguis, quia in chylo forma ſanguinis, atque ſic deinceps. Aut ſi vis ab anima calore viſcerum hæc generari, dic unde forma chyli, chymi, ſanguinis, ſeminis. Si ex tuâ opinione per propagationem formarum præexiſtentium, quænam anima vel forma ex ſui diviſione eam informabit? ex potentia itaq;*

*materia educi necessum erit, alioquin sequetur in materia actu existere omnes istas formas, quæ ex eadem prodire aut exsurgere possint. Sub forma cibi non peribit forma chyli, nec sub bujus forma chymi, quia ad hujus generationem superstitem illam esse oportebat. In tritico erit forma tritici & chyli & vermis, & tandem, quod verè Paracelsicum est, erunt omnia in omnibus, aut formæ & semina vel essentiæ ex Iliado & abysso vel Orco Bombastij in hanc mundi scenam venient, personasq́; assument, & corpora sibi fabricabunt. Sed quid hoc aliud est, quam damnatam Paracelsi hæresin, novis palliatam rationibus, reducere, & antiquatos errores in fraudem scientiarum, & perniciem studiosæ juventutis, recentibus incrustare absurditatibus?*

## Responsio Generalis.

*Adversarius malè è mistione ad mentem Scholasticorum sumptâ, contra formarum traductionem argumentatur.*

*Dogmata Scholasticorum de Mistione summè dubia.*

In hiscè & aliis thesibus Adversarius mistionem Scholasticorum assumit, & contra formarum traductionem pugnat. Ubi 1. Sciat Interpretes Aristotelis tàm variè & perplexè, de mistione scribere & sentire, ut per doctrinam istam saltem dubia dubiis cumulentur, rei ipsi verò parùm lucis addatur. Putant enim quatuor Elementa ita uniri, ut etiam è quavis minimâ particulâ queant extrahi, quia aliàs non quælibet pars misti mistum esset. Hinc intestinum fovent bellum de formis Elementaribus, an intereant in misto, an maneant; & si maneant, an integræ, an remissæ maneant; & sive integræ sive remissæ maneant, in quantâ copiâ ignis, in quantâ aqua, in quantâ terra, in quantâ aer, confluere debeant; & si ita confluxerint, unde postmodum sapores, unde odores, & unde colores, surgere queant? E quibus sat lubricis principiis, quidnám vel pro eductione, vel pro inductione concludendum? Adversarius ipse cum Scholasticis mihi non consentire videtur, dum infrà th. 50. Scaligerianam Misti descriptionem approbat,

*An Adversarius faciat cum Scholasticis, quorũ tamen defensor audire gestit.*

bat. Nempè Scaligero *Exercit.101. f.1. Mistio est motus corporum minimorum ad mutuum contactum,ut fiat unio.* Quo stante, Scholastica mistionis doctrina non stabit. Quod inter alios egregiè monstrat & demonstrat *Sebast. Basso* Medic. D. in *Philos.Natur.Libr.1. Intent.3.Artic.2.* qui Mistionis doctrinæ & descriptioni ad mentem Scaligeri propositæ, hæc subjicit: *Quæ quidem ex diametro pugnāt cum iis quæ Aristoteles contra Empedoclem affirmat libr.1. de generat. cap.10. Non oportere dicere, quæ miscentur esse mista secundum partes exiguas, quæ suam adhuc retineant naturam; perspicuum est. Compositio enim esset, non temperatura, aut mistio, nec pars eandem cum toto haberet rationem. Dicimus autem si quid misceri debeat, quod mistum est similium esse partium: & quemadmodum aquæ pars aqua est, ita & temperati temperaturam. Quod si mistio sit compositio secundum partes exiguas, nihil horum accidet, sed solum esse mista ad sensum: atque idem huic quidem si acutè non videat, esse mistum: Lynceo verò non esse mistum videbitur.* 2. Sciat Aristotelis Interpretes talem describere mistionem, quæ nec unquam facta fuit, nec un-

*Mistio quid Scaligero.*

*Scholasticorum Mistio nunquā fuit, & nunquā futura est.*

unquam futura est. Miscibilia enim seu Elementa concurrere, inter se pugnare, frangi & refringi, agere & reagi, sicq; mista produci, contendunt. Sed quando hæc observarunt? Longè aliud natura dictitat, quæ hominem, bruta, & plantas, non per illum temerarium Elementorum concursum, sed per semina benè cocta, fieri, manifestè monstrat. Imò, in Metallorum etiam, aliorumq; inanimatorum, generationibus, in Elementaribus istis actionibus & reactionibus natura non subsistit, sed spiritus metallicos sese promoventes & multiplicantes assiduis Mundi scrutatoribus præclarè ostendit. Unde *Experientiss. Dn. D. Sennertus in Consf. & Diss. Cap. 11.* graviter inquit: *Non credendum est, quod nonnulli sibi imaginantur, quasi cum res aliqua generanda est, ex omnibus quatuor Elementorum regionibus materia ad mistionem conquirenda sit: sed cum Deus Opt. Max. res crearet, Elementa quoq; miscuit, & mistis suas formas peculiares ac seminales rationes & essentias cœlo analogas indidit. Atque ita cursum naturæ per propagationem specierum in individuis conservat & tuetur. Jam verò post creationem*

*ista*

*ista principia in aquis & terris ad corporum naturalium constitutionem & nutritionem ubivis obvia sunt ex variis rerum corruptionibus.* 3. Sciat mistionem, sive *Regularem*, sive *Irregularem*, sive *Artificialem*, sive *Naturalem*, ex anteà mistis, non è primis illis Scholasticorum miscibilibus, procedere. Regularem mistionem eam dico, *quæ secundum leges à naturâ præscriptas fit.* Sic naturali mistione semen hominis & hominis, equi & equi, canis & canis, semperq; ejusdem speciei semina, uniuntur & commiscentur. Irregularis mistio est, *quæ contra leges à naturâ præscriptas fit.* Sic mulus generatur ex equâ & asino, hinnus ex equo & asinâ, leopardus ex pardo & leæna, lycopantheros ex lupo & panthera, gallopavus ex gallo & pavone, & partus semiferi ex hominibus & brutis. Naturalis est, *quam Natura aggreditur:* Artificialis *quam Ars.* Utriusq; exempla nemini nō nota sunt. Hæ mistiones omnes è rebus anteà mistis, non ex illis miscibilibus primis, vel spontè, vel casu, vel superiorum virtute, unitis ac dispositis oriuntur, ut ad oculum ostendit Natura cunctis rerum naturalium scrutatoribus.

*Mistio Naturæ & Artis non fit immediatè ex Elementis.*

*Quid Mistio Regularis.*

*Quid Mistio Irregularis.*

*Quid Mistio Naturalis.*

*Quid Mistio Artificialis.*

Resp.

# Responſiones Speciales.

*Ad Argum. I.*

Adverſarius à Majori ad Minus argumentari tentat, ſed egregiè principium petit. *Si animata*, ait, *virtute cœleſti generantur, multò magis etiam metalla, lapides, & alia inanimata, vi Cœli generari poterunt. Sed generantur animata virtute cœleſti. Ergò multò magis etiam metalla & lapides, & alia inanimata, vi cœli generari poterunt.* Sed petit principium, probareq; tenetur à Cœlo prodire animata. Neque recurrere poteſt ad *Clariſſ. Sennerti Phyſicam*, talis enim diſputandi modus eſt miſerrimus. Ex naturâ deſumat medium terminum, non ex libris. Et, cum diſputet καθ' ἄνθρωπον, ſi è Dn. Sennerti libris diſputare gaudet, è poſterioribus id agat, ubi ſententiarum in prioribus contentarum, vel explicationes, vel limitationes, vel correctiones, vel excuſationes ſuppeditantur: non ac ſi priores ſuam vel autoritatem vel utilitatem amiſerint, ſed quia dies diem docet, & diligens Naturæ ſcrutator ſemper prioribus aliquid vel adjiciendum vel abjiciendum deprehendit.

*Cœlum nō facit animata.*

*Ad*

*Ad Argum. II.*

I. Adversarius confundit causam *Universalem* cum *Particulari*. Cœli & astrorum vires esse insignes in auri, argenti, plantarum, brutorum, omniumq; corporum naturalium generatione, tàm constans & antiquorum & modernorum Philosophorum est assertio, ut fermè influxus ille nobilissimus extra omnem sit controversiam. Verùm efficiuntné aurum, argentum, plantas, bruta, & sensu Scaligeriano omnia, ut Causa Particularis, an ut Universalis? Puto quod ut Universalis. Ita enim argumentor: *Cujuscunq; influxus ad auri, argenti, plantarum, brutorum, cæterorumq; generationem, est indifferens, illud est Causa Universalis. Cœli & stellarum influxus ad auri, argenti, plantarum, brutorum, cæterorumq;, generationem est indifferens. Ergò Cœlum & Stellæ sunt Causæ Universales.* Major est ex Descriptione propriaq; ratione Causæ Universalis. Minor probatur 1. ex propriâ Adversarij confessione. 2. è reipsâ. Quoad prius Adversarius th. 16. ita habet: *Nulla perficitur* (generatio) *univoca, nisi accedat æquivoca: à cœli directione est omnium rerum gene-*

*Quomodo Cœlum non faciat animata, & quomodo etiam ista, & sano sensu omnia, faciat.*

*Cœlum causa Universalis.*

*generatio & corruptio ; illud tanquam agens universale omnia inferiora generat, mutat, producit, & sine illo nihil fit in inferioribus.* Quoad posterius, sanè stellæ sua lumina, radios, aliasq; dotes, indifferenter & absque ullo discrimine in Mundum hunc inferiorem spargunt, & sic semina latentia calefaciunt ac vim torpidam excitant, quò diversa diversorum metallorum, diversarum plantarum, & diversorum animalium genera, prodire queant. Hinc & non omnis fert omnia tellus, & ne in uno quidem campo producuntur eadem, sed hîc millefolium, illîc nasturtium, isthic centaurium, alibi aliud : non sanè ob diversum siderum situm, nec etiam ob nudam materiæ, ut materia est, diversitatem, quæ forsan facilè æqualiter disponi posset, sed ob causarum particularium alietatem. II. Lapides & vermes in vesicâ, intestinis, & omnibus fermè corporis partibus, non sine seminali generantur principio. Vis enim cœlestis cum saltem Universalis Causæ rationem sustineat, non magis lapidem, quàm aurum aut argentum, neque magis vermem, quàm equum aut canem, formabit aut fabri-

*Quomodo lapides & vermes in vesicâ, & ceteris animaliũ partibus, generentur.*

fabricabit. Et quamvis quoad lapides, alij ad *calorem*, alij ad *frigus*, alij ad *exsiccationem*; & quoad vermes, alij ad *calorem*, alij ad *putredinem*, alij denuò ad *vim cœlestem* confugiant: tamen omnes laterem lavant. *Calor* namq; lapides non gignit, quia (ut transeant reliqua argumentorum pondera) in membraneis etiam locis, nec non in fontibus frigidis, in copiâ non exiguâ gignuntur; imò lacus sunt, in quibus ligna, ossa, & alia injecta, in lapides mutantur. Ubi dubio procul beneficio caloris lapides isti fieri haud valebunt. Sic neque *frigus* eos producere poterit, quia etiam in capite, in pulmone, in ipso corde, & illius arteriis, lapides generati fuerunt. At, quis tantum frigus in corpore hominis viventis quærere auderet? Nec *exsiccatio humidi* rem dabit expeditam, quia in renibus & vesicâ, locis satis humidis, imò in ipsis aquis, lapilli generantur. Sic & vermes pro principe & proximâ causâ, nec *calorem*, nec *putredinem* habent, de quib9 egregiè *Excell. Dn. Sennertus Libr. 2. Instit. Medic. Part. 2. c. 9.* his verbis: *Neque enim calor, sive putredinalis, sive coquens, sive quocunque modo* *appel*

*Calor lapides non gignit.*

*Frigus lapides non gignit.*

*Exsiccatio humidi lapides non gignit.*

*Calor & putredo vermes nõ faciunt.*

*Cœlum vermes non facit.* *appelletur, per ſe ſubſtantiam efficere, & ſeſe nobilius aliquid producere poteſt. Sicut nec illud rem expedit, quod quidam ad calorem cœleſtem ſeu cœlum confugiunt. Cœlum enim eſt agens tantùm commune ac univerſale, præter quod in cujusvis rei ſublunaris generatione proprium & proximum agens neceſſariò requiritur &c.* Plura videantur loco citato, & in *Conſ. ac Diſſ. Cap. 11.*

*Principiũ ſeminale & vermes & lapides facit.* Breviter ita argumentamur: *Ut lapides & vermes extra corpus noſtrum, ita & in corpore noſtro generantur. Sed per principia ſeminalia extra corpus noſtrum generantur. Ergò etiam per principia ſeminalia in corpore noſtro generantur.* Nec eſt, quod quærat quis, unde principia illa in corpus noſtrum transferantur & transvehantur; ſiquidem (ut taceam ſubordinationem) & cibos & potus nec feculentiæ, nec lapideſcentiæ, nec ſeminij, expertes haurimus, unde & pro varietate aquarum, locorum, & ſimilium cauſarum, immenſum variare morbos experimur.

*An materia prima ſit receptiva formarũ metallicarum.* III. De materiâ, an formas metallorum recipere poſſit, an non, parùm ſumus ſolliciti. Etiam Irus forſan recipere poſſet divitias Crœſi, ſed quid inde? Lubet ſaltem quærere, an

an illa potentia ſit *prima*, an *ſecunda*? Si prima eſt, ob eam materia formam metallorum non recipiet, quia prima æqualiter ſe habet ad omnes formas. Si ſecunda eſt, non materiæ primæ, ſed ſecundæ, potentia eſt. Ratio, quia certa diſpoſitio è materiâ primâ facit ſecundam. IV. Argumentum ergò Adverſarij invertimus hoc pacto: *Ut lapides generantur in veſicâ, & vermes in inteſtinis, ita etiam metalla generantur in terris. Sed è principio ſeminali lapides generantur in veſicâ & vermes in inteſtinis. Ergò etiam è principio ſeminali metalla generantur in terris.* Major eſt Adverſarij. Minor & è dictis, & è Reſponſ. ad Argum. V. Pentad. Tert. ſat patet. *Inverſio.*

## *Ad Argum. III.*

Minor eſt falſa. Nempè è traductione formarum, omnia miſta eſſe animata & vitalia, non ſequitur. Multiplicant enim ſeſe non ſaltem animata, ſed & inanimata. Putat quidem Adverſarius his deeſſe ſemina, unde in iis traductio ſtare nequeat, ſed malè. Plura ſuprà in Reſponſ. ad Argum. V. Pent. III. *Manet diviſio Miſtorum in Animata & Inanimata.*

*Ad Argum. IV.*

*Ethnicismum sapit, ex materiâ primâ generata fuisse Elementa, ex Elementorum mistione mista, & ex mistorum remistione animata.*

Minor est nulla. Probatio addita 1. *purum sapit Ethnicismum.* Quando enim quæso ex materiâ primâ generata fuerunt Elementa? Putarem vera esse illa quæ *Moses Cap. 1. Gen.* habet: Deum fecisse terram, Deum fecisse aquã, Deum fecisse expansum, Deum dixisse ut germinet terra germen, & ut producant aquæ reptile & volatile. Sed Adversarius mavult cum Aristotele, homine Ethnico, sibi quandam materiam primam, (quæ forsan ab æterno extitit) formas Elementares ex se gignentem, & mediantibus hiscè animas plantarum & brutorum, imò hominis etiam, (ut infrà ait) cudentem imaginari, quàm Creatori de creaturis proprium testimonium dicenti assentiri. Paucis sic argumẽtamur: *Quicquid est immutabile, ex eo non generantur Elementa. Materia Prima est immutabilis. Ergò ex materiâ primâ non generantur Elementa.* Major probatur, quia unius generatio est alterius corruptio. Minor est omnium Aristotelicorum. 2. *verum Controversiæ statum nõ attendit.* Non enim animam seminibus brutorum vel hominum nõdum mistis & uteri facultate propriâ suscitatis concedimus: sed,

utlæ-

ut sæpius dictum, de seminibus utriusq; sexus rectè unitis, mistis, & suscitatis, loquimur, unde regeri nequit, animas illas ante mistionem adfu sse. Plura de Mistione in Generali dicta fuêre Responsione.

*Ad Argum. V.*

Falsum non esse, nullam dari generationem Æquivocam, sæpius prolatum probatumq; fuit. *Exceptio prima* Adversarij confundit nutrimẽta & excremẽta cum partibus, & partes cum speciebus. *Aliud* n. est, elaboratione chyli, sanguinis, & seminis considerare: *aliud* formationẽ ossis, carnis, cæterarũq; cùm spermaticarũ tùm sanguinearũ partiũ, ponderare: & *aliud* multiplicationem specierũ penicularè. Cum formas traduci statuit *Clariss. Dn. Sennertus*, ad species mundi, nõ ad specierũ vel nutrimenta, vel excremẽta, vel etiã particulas, respicit. Hinc ridiculum est argumẽtari velle: *Quicunq; statuit canem generare canem, ille etiam statuere necessum habet, ossa generare ossa, carnes generare carnes, semina generare semina, sanguinem generare sanguinem, & chylum generare chylum. Clariss. Dn. Sennertus statuit canem generare canem. Ergò etiam statuere necessum habet, ossa generare*

*Omnis Generatio Univoca.*

*Respon. ad Except. I.*

*Confusio mater falsi.*

*nerare ossa, carnes generare carnes, semina generare semina, sanguinem generare sanguinem, & chylum generare chylum.* Qualis enim illa Majoris Consequentia? Species mundi sanè habent potentias sese multiplicandi, sed non ita specierum partes, non ita specierum nutrimenta, nec ita specierum excrementa; id quod adeò manifestum, ut probatione nullâ indigeat. Quis enim quæreret, an & quomodo se multiplicet caput Petri, an & quomodo cor Petri, an & quomodo semen aut sanguis Petri? Chylum autem & sanguinem esse nutrimenta; semen, excrementum; cor, carnem, hepar, ossa &c. partes, inter saniores in confesso est. Forsan tamen Adversarius novisse gestit, *unde chylus, sanguis, semen, cor, hepar, ventriculus &c. suam habeant formam substantialem?* Respondeo, magna adhuc lis est inter doctissimos Philosophos & Medicos, *an partes corporis formis substantialibus à se invicem differant:* sed affirmativa ponatur & concedatur, caroq; quæ in macello venditur, non minus quàm ea quæ adhuc in vivente est, verè & univocè ob propriam suam formam sub-

*De formis partium.*

substantialem caro dicatur; formam suam caro ista, ut & ossa, venæ, aliæque partes omnes, in semine (quod ἀπόσπασμα σώματ☉ est) protinùs habuerunt, quæ postmodùm certum sibi ædificavit domicilium. Quâ de re dictum suprà *Thes 5. Concl. 3.* Unde verò *nutrimenta & excrementa*, seu sanguis, chylus, semen, & lac, formas suas receperint, quærere, fermè est frustraneum. Nam quæ coquuntur accuratè loquendo non generantur. Aliud enim *Coctio*, aliud *Generatio* est. Si jam non generantur, nec quæstio de origine formarum ad ista spectat, nec ea peculiarem formam substantialem obtinent. Sola enim generatio cursu naturæ ad formas substantiales tendit. Quo stante, inferre non licet, in cibo præfuisse formam chyli, in chylo sanguinis, in sanguine seminis aut lactis. Quod enim non est, etiam in cibo, chylo, aut chymo, esse nequit. Formas autem partium, & animam ipsam, in semine fuisse, ultro largimur.

*De formis nutrimentorū & excrementorū.*

*Exceptio secunda* malè colligit. Nam 1. ex eo colligit, quod non est. Si forma chyli, ait, fuit in pane, otiosus erit ventriculus; & si forma chymi fuit in chylo, otiosum

*Respon. ad Except. II.*


sum

sum erit hepar; & si forma seminis fuit in sanguine, otiosi erunt testes &c. Verum prius nec concessum, nec probatum fuit. Si asinus volat, habet pennas. 2. Posito etiam, sed non concesso, formam chyli fuisse in pane, & formam chymi fuisse in chylo, & formam seminis in sanguine, non tamen propterea otiosus esset ventriculus, vel epar, vel testes, nec otiosa anima, & otiosæ animæ facultates, quia non nuda illa forma faceret chylum, sanguinem, aut semen, sed etiam materia, non sine labore in ventriculo, epate, & testibus, formata & elaborata. *Exceptio tertia* ultrò cadit per responsiones ad duas priores allatas. Non itaq; metuendum est, ne his ipsis Paracelsi revocentur errores, & incautæ obtrudantur juventuti. Quid de *Paracelso*, ejusq; doctrinâ, *Clariss. Dn. Sennertus* sentiat, & quàm præclarè Viri illius & vitam, & mores, & dogmata depinxerit, correxerit, & refutaverit, aureus ille *Liber de Chymic. cum Aristot. & Galen. Cons. & Diss.* & in specie *Cap. 4.* de *Paracelso*, abundè testatur, ut meras hîc Adversarius sonet & resonet Calumnias, cum *Sennertum* damnatam Paracelsi

*Resp. ad Except. III.*

celsi hæresin novis palliatam rationib9 reducere, & antiquatos errores in fraudem scientiarum & perniciem studiosæ juventutis recentibus incrustare absurditatibus, clamitat & scriptitat. O utinam omnes ad exemplum *Dn. Sennerti* studiosam seducerēt juventutem! Beata est seductio, quâ à falsitate abducimur, & ad veritatem adducimur. Gratâ mente tantos labores posteritas (si qua speranda) suscipiet, æternoq; Optimum hunc φύσεως καὶ κόσμου ἑρμηνευτὴν contra omnes invidorum morsiunculas honore mactabit. Nam

*Adversarii Calumnia.*

*Pascitur in vivis livor; post fata quiescit:*
*Tunc suus ex merito quemq; tuetur honor.*

## Pentas Sexta.

### *Argum. I.*

Si formam misti inanimati è potentiâ materiæ educit calor elementaris, & animas calor cœlestis ac divinus, sequitur formas non traduci sed educi. At antecedens est. Ergò & consequens. Probatur antecedens è Scaligero, quià cœli directione omnium rerum generationem & corruptionem esse docet, & luculenter ex Zabarellæ Cap. 9. Lib. de ment. hum. & c. ult. lib. de cal. cœlest.

*Argum. II.*

Si cœlum ad omnium rerum generationem, ut agens universale & æquivocum concurrit, idq; nunc mediatè, nunc immediatè, sequitur frivolè omnis generationis potestatem & ordinem animæ vel formæ præexistenti in materiâ rei generandæ attribui. Sed prius est. Ergò & posterius. Probatur prius è Scaligero.

*Argum. III.*

Quicunq; quærit, quid rerum ortus & obitus in his inferioribus moderetur, & quid tantillo terræ tantum aquæ misceat, is naturam naturantem & cœlorum astrorumq; ingentia & potentissima corpora, virtute agendi in hæc inferiora spoliat. D. Sennertus quærit, quid rerum ortus & obitus in his inferioribus moderetur, & quid tantillo terræ tantum aquæ misceat. Ergò naturam naturantem & cœlorum astrorumq; ingentia & potentissima corpora virtute agendi in hæc inferiora spoliat. Major probatur, quia Deus & astra rerum mistiones & generationes regunt ac dirigunt.

*Argum.*

*Argum. IV.*

Quicquid brutum eſt & proprio fine non agit, ac in agendo à prioribus, ſuperioribus & univerſalioribus dependet, illi opus generationis & miſtionis adſcribi non poteſt. Natura particularis bruta eſt & proprio fine non agit, ac in agendo à prioribus, ſuperioribus & univerſalioribus dependet. Ergò naturæ particulari opus generationis & miſtionis adſcribi non poteſt. Major probatur, quia opus naturæ eſt opus Intelligentiæ.

*Argum. V.*

Quicunq; formis particularibus proclivitatem ſeſe propagandi, rerum generationem & interitum moderandi & conſervandi, univerſumq;, & ne quid in ſpecie deficiat, moderandi & adminiſtrandi, virtutem aſſuit, is pulcherrimum ordinem à Deo inſtitutum (qui inter ſuperiora & inferiora eſt) turbat ac convellit, philoſophicas diſciplinas ac veritatis regulas peſſundat, artium ſtudia corrumpit, ad Paracelſicam barbariem inclinare juventutem, & ſenſim ad ea quæ Paracelſi myſtæ & fratres ro-

ſei pone ſequuntur, videlicet atheiſmũ, aliaq; errorum plauſtra viam munit. Atqui D. Sennertus formis particularibus proclivitatem ſeſe propagandi, rerum generationem & interitum moderandi & conſervandi, univerſumq;, & ne quid in ſpecie deficiat, moderandi & adminiſtrandi virtutem aſſuit. Ergò pulcherrimum ordinem à Deo inſtitutum (qui inter ſuperiora & inferiora eſt) turbat ac convellit &c.

## Adverſarij Verba.

### Thesis XVI.

*Generatio autem omnis eſt à cauſis æquivocis vel univocis. Has propagatione formarum per ſemina, aut per id quod ſemini reſpondet generari aſſerit D. Sennertus, quo pacto quercus quercum & canis canem producit. Æquivoca generatio fit, cum agens non producit ſibi ſpecie ſimile, & ſic cœlum eſt omnia poteſtate agendi, dictante Scaligero. Nulla autem perficitur univoca, niſi accedat æquivoca: à cœli directione eſt omnium rerum generatio & corruptio; illud tanquam agens univerſale omnia inferiora generat, mutat, producit, & ſine illo nihil fit in inferioribus. Quo pacto ad generationem*

*cum*

*cum rerum mistarum tum animatarum vel mediatè vel immediatè agat aut concurrat calor cœlestis, elementarem, vel nostrum innatum dirigens, mistiones ac generationes operans & promovens Zabarella luculenter docet lib. de calore cœlesti & passim in libris de rebus naturalibus. Is immediatè calorem elementi, directum tamen à superiore omnes rerum inferarum mutationes gubernante, ait, producere formam misti inanimati, ut verò animal generetur accedere oportere, externum principium nempe cœlestem atque divinum: Formæ inquit libr. de mente hum. cap. 9. inanimatorum de materia educuntur ab agente elementari: nam calor elementaris in generatione misti locum habet agentis in educēda forma misti de potestate materiæ, sed anima non potest à facultate elementari produci; quare principiū habet activum externum, nempe cœleste atq; divinum: causam agentem in productione omnium partium animæ, refert Arist. in facultatem cœlestem, hoc est, astrorum vires, quas etiam, inquit, inter se dissidere, majore & minore nobilitate, prout etiam animæ nobilitate discrepent; in hanc igitur causam agentem idem refert productionem animarum Aristot. Nam animalia quæ ex putri materia generantur, ibidem asserit*

*à tali*

*à tali cœlesti principio generari; illa verò quæ per propagationem & ex semine gignuntur, inquit, habere in seminibus facultatem generatricem à cœlestibus corporibus inditam, quam dicit esse calorem, non quidem elementarem & igneum, siquidem calor igneus non est productivus viventis, sed calorem cœlestem & à cœlo impressum proinde referentem naturam quinti Elementi, cum ab eo proveniat, & tanquam illius instrumentum est productivus animalis: agit enim semen tùm virtute propria tanquam agens proximum, tùm etiam virtute cœlesti tanquam instrumentum cœlestis agentis, & hac ratione dicitur in semine inesse principium activum, ab ipso separatum, hoc est rectum & gubernatum ab agente separato, unde dici solet, sol & homo generant hominem; propria enim ipsius seminis virtus, non potest alia esse quàm elementaris, quum semen ex elementis constet, non hæc quoque virtus suam actionem contribuit, sed ad animalis generationem nullius esset momenti sine altera quã semen à cœlo accipit, qua ratione partes animæ, præter rationalem, ita producuntur à cœlesti illo principio, ut de potestate materiæ ab eo educantur.*

## Thesis XVII.

*Idem lib. de calore cœlesti cap. ultimo ex Arist. docet, calorem seminibus insitum, habere vim generandi animal, proinde non elementarem esse, sed cœlestem ac divinum, siquidem calor igneus nullum animal generet: unde quidam collegerunt (inquit) specie distinctos esse calorem igneum & calorem vitalem, sed decepti sunt, quia diversa quidem sunt principia agentia, quæ calore utuntur, sed ipsa caloris natura est ejusdem speciei: ignis enim non potest animal generare, neque animam de materia educere per calorem, quia non potest agere supra proprias vires; at cœlum & virtus vitalis cœlo proportione respondens, potest per calorem generare animal. Calor elementaris in mistione agit in siccum & humidum, ea regit & unit, & mistionem absolvit, & formam misti educit, at nō educit animam, hæc enim eget agente supereminente naturam elementarem, quale est cœlum & anima seu virtus vitalis cœlo proportione respondens.*

## Thesis XVIII.

*In ipsa elementari materia, ex qua hæc corpora generantur insitum est activum principium, nempe calor elementaris, à quo*

*absolvitur mistio & educitur forma misti, quemadmodum etiam à virtute elementari educitur de materia forma elementi, quando ab aliquo elemento convertitur in naturam suam aliud corpus: & quamvis ad has quoque mutationes concurrat cœlum, & agens universale, non tamen ut agens proximum & immediatum, nam proximum agens est vis elementaris. Hactenus Zabarella. Ex quibus omnibus liquet, cœlum æquivoce generare omnia mista inanimata, seorsim existentia, & mista animata calore cœlesti ex semine, & demum immediatè non ex semine, sed elementis, ut ex limo ranas & quisquiliis mures.*

## Thesis XIX.

*Unde scitè Scaliger Exc. VI. no. V. Pendere hæc nostratia ex superioribus, propter æquivocam connexionem, non propter univocam effectionum communionem. Sunt enim superiora quasi formæ conservatrices inferiorum; quia hæc ipsa causa causarum tuetur ea quæ fecit, per ea quæ fecit. Iccirco nos moveri, quia moventur illa, & vivere nos quia vivunt illa, & esse quia sunt. Et hac ratione ab Aristotele dictum esse, quod sol & homo generent hominem. Cœlum itaq; ad o-*

ad omnium rerum generationem, ut agens universale & aequivocum concurrit, idq; mediatè ut in iis quæ ex semine generantur, vel immediatè ut in opificio animalium ex limo quisquiliisvè productorum, ut frivolè assignetur omnis generationis potestas & ordo, tam simpliciter mistorum quam animatorũ, animæ vel formæ praexistenti in materia rei generandæ. Scitè proinde Scaliger Exerc.c.l. num.18. ait falsum esse omne quod generetur ab anima generari: neq; solam animam miscere, quod & calor solis misceat, & calor ignis misceat. Quocirca etiam quærere, quid rerum ortus & obitus in his inferioribꝰ moderetur, quid tantillo terræ tantum aquæ misceat, numquid est naturam naturantem, & cœlorum astrorumq; ingentia & potentissima corpora virtute agendi in hæc inferiora spoliare? Quid est in universo quod rerum mistiones & generationes dirigit ac regit? an natura particularis & bruta, num verò illa intelligens & omnia dirigens? bos in Venerem fertur non sua intentione, neque ut species propagetur & conservetur, sed fine & consilio universi dirigentis naturam bovis, per suas qualitates, quas ut peculiares ad hoc indidit ita certis temporibus eas excitat.

Opus

*Opus naturæ est opus Intelligentiæ, & natura particularis non agit fine suo, sed fine universi, & causarum particularium infimarumq; potestas, à prioribus superioribus & universalioribus dependet, causa enim posterior agit virtute prioris, & subalternatim ascendendo, donec ad primam omnium deveniamus, qua pulcherrima connexione, ab una & ad unam omnia; dependent omnia; seu tota rerum omnium series. Inferiora autem potissimum per rerum generationem conservantur. Formis verò particularibus proclivitatem sese propagandi, rerum generationem & interitum moderandi & conservandi, universumq;, & ne quid in specie deficiat, moderandi & administrandi virtutem assuere, est pulcherrimum hunc à Deo ordinem institutum turbare aut convellere, philosophicas disciplinas & veritatis regulas pessundare, artium studia corrumpere, ad Paracelsicam barbariem inclinare juventutem, & sensim ad ea quæ Paracelsi mystæ & fratres rosei pone sequuntur; videlicet atheismum, aliaq; errorum plaustra, viam munire.*

Respon-

# Reſponſiones Generales.

## I. *Adverſarius fruſtrà contra Excellentiſſ. Dn. Sennertum urget autoritatem Zabarellæ.*

Ἔκθεσις.

Noſtri jam non facimus laboris Zabarellæ ſententiam examinare & refutare, ſed ſaltem cum Adverſario rem noſtram conabimur expedire. Calorem producere formas; probat hoc medio termino, quia Zabarella id dixit. Fiat Syllogiſmus: *Quicquid dixit Zabarella, id negare non debet D. Sennertus. Calorem facere formas dixit Zabarella. Ergò id negare non debet D. Sennertus.* Major eſt egregia. Do inſtantiam: *Quicquid dixit Zabarella, id negare non debet D. Freitagius. Viventia dum generant ſibi ſimile, largiri & communicare aliquid de ſuamet materia & aliquid de ſuamet formâ, dixit Zabarella. Ergò id negare non debet D. Freitagius.* Minor probatur è propriis Zabarellæ verbis, qui *libr. de facult. anim. cap. 11.* ita ait: *Generans communicat aliquid de ſuâ animâ nutritivâ, quatenus* exhi-

*Regula & menſura Controverſiarum Phyſicarū & Medicarum, nō eſt Zabarella, non Ariſtoteles, nec ullus qui ante nos fuit, ſed NATURA.*

*exhibet semen animatum, at ipse Aristot. asserit in 2. lib. de Ort. animal. cap. 3. est enim semen præditum facultate vitali, quæ eadem in generante erat; sed simul communicat aliquid de suâ materia quia forma non potest migrare de materiâ in materiam, quare necesse est, ut vivens generans exhibeat portionem suæ materiæ, unà cum portione animæ nutritivæ, & caloris sui naturalis; fit autem postea alia numero anima, & aliud vivens ejusdem speciei.* Atque sic jam Controversiarum Physicarum normam cum proprio suo damno Adversarius constituit Zabarellam.

## *II. Adversarius miserrimè allegat Zabarellam.*

Ἔκθεσις.

Quàm frigidè & miserè Adversarius alleget Zabarellam, sat dici nequit. Ut ergò id ad oculum ostendatur, de verbo ad verbum cùm Adversarij allegata, tùm Zabarellæ dictata subjiciam. Ità ergò

*Iacob.*

| *Jac. Zabar. Libr. de ment. hum. c. 9.* | *D. Joh. Freitag. theſ. 16.* |
| --- | --- |
| Formæ inanimatorum de materiâ educuntur ab agente elementari; nam calor elementaris in generatione miſti locum habet agentis in educendâ formâ miſti de poteſtate materiæ, ſed anima non poteſt à facultate elementari produci; quare principium activũ habet externum, nempè cœleſte atque divinum; itaq; cauſam agentem in productione omnium partium animæ refert Ariſtot. in facultatẽ cœleſtem, hoc eſt, in aſtrorum vires, quas etiam inquit inter ſe diſſidere majore ac mino- | Formæ, inquit, Zabarel. lib. de ment. hum. c. 9. inanimatorum de materiâ educuntur ab agẽte elemẽtari: nam calor elementaris in generatione miſti locum habet agentis in educenda forma miſti de poteſtate materiæ, ſed anima nõ poteſt à facultate elementari produci, quare principium habet activum externũ, nempè cœleſte atque divinũ: cauſam agentem in productione omnium partium animæ refert Ariſt. in facultatem cœleſtem, h. e. aſtrorum vires, quas etiam |

*Hic Adversarius tres omisit lineas.*

*Jac. Zabarel.*

re nobilitate, prout etiam animæ producendæ nobilitate discrepãt, & sunt aliæ aliis nobiliores, adeò ut à facultate cœlesti nobiliore nobilior etiã animæ pars produci dicatur: in hanc igitur causam agentem refert Aristot. productionem animarum; nam animalia, quæ ex putri materiâ generãtur, ibidem asserit à tali cœlesti principio generari; illa verò quæ per propagationem, & ex semine gignũtur, inquit habere in seminibꝰ facultatem generatricem à cœlestibus corporibus inditã, quam dicit esse calo-

*D. Job Freitag.*

iam inquit inter se diffidere, majore & minore nobilitate, prout etiam animæ nobilitate discrepent; in hanc igitur causam agẽtem idem refert productionem animarum Aristot. Nam animalia quæ ex putri materia generãtur ibidem asserit à tali cœlesti principio generari; illa verò quæ per propagationem & ex semine gignuntur, inquit, habere in seminibus facultatẽ generatricem à cœlestibus corporibus inditam, quam dicit esse calorem, nõ quidem elementarem & igneum, siquidem calor

*Jac. Zabarel.*

lorem, nõ quidem elementarem, & igneum, ſiquidem calor igneus nõ eſt productivus viventis, ſed calorem cœleſtem, & à cœlo impreſſum, proinde referentem naturam quinti Elementi, quia ab eo proveniat, & tanquam illius inſtrumentum eſt productivus animalis: poſtea verò aliis ſequentibus verbis, inquit, duas in ſeminibus vires ineſſe, unam ab ipſis ſeparatam, alteram verò nõ ſeparatam; agit enim ſemen tùm virtute propriâ, tãquam agens proximum, tùm etiam virtute cœleſti tan-

*D. Joh. Freitag.*

calor igneus non eſt productivus viventis, ſed calorẽ cœleſtem & à cœlo impreſſum, proinde referentẽ naturam quinti elementi, cum ab eo proveniat & tanquam illius inſtrumentum eſt productivus animalis: agit enim ſemen virtute propriâ tãquam agens proximum, tùm etiam virtute cœleſti tanquam inſtrumentum cœleſtis agentis, & hac ratione dicitur in ſemine ineſſe principium activum ab ipſo ſeparatum, hoc eſt rectum & gubernatum ab agente ſeparato, unde dici ſo-

*Hîc iterũ in medio contextũ Adverſarius aliquot omiſit lineas.*

*Jac. Zabar.*

tanquam inſtrumẽtum cœleſtis agentis, & hac ratione dicitur in ſemine ineſſe principium activum ab ipſo ſeparatum, hoc e. rectum & gubernatũ ab agente ſeparato, unde dici ſolet, Sol & homo generant hominem; propria enim ipſius ſeminis virtus nõ poteſt eſſe alia, quàm elementaris, cũ ſemen ex elementis conſtat; nam hæc quoque virtus ſuam actionem cõtribuit, sed ad animalis generationem nullius momenti eſſet ſine alterâ, quam ſemẽ à Cœlo accipit. Hoc igitur modo, inquit ibi Ariſtot, omnes par-

*Hic multas Adverſarius omiſit lineas,*

*D. Joh. Freitag.*

ſolet, Sol & homo generant hominẽ; propria enim ipſius ſeminis virtus non poteſt alia eſſe quã elementaris, quia ſemen ex elementis cõſtet, nam hæc quoque virtus ſu-

am

*Jac. Zabar.*

partes animæ extrinsecus accedere, non quidem ratione suæ substantiæ, sed ratione principij agentis, quod non est Elementare, sed cœleste. Hoc autem Arist. dictũ, utcunq; ab ipso intellectũ sit, de quo in pręsentiâ non disputo, verum etiam absolutè est, si sano modo intelligatur: nempè ut dicamus alias partes animæ præter rationalem ita produci ab illo cœlesti principio, ut ipsæ de potestate materiæ educi ab illo dicantur; animam verò rationalem à solo Deo immediatè creari in corpore, pendere ta-

*D Job Freitag.*

am actionem contribuit, sed ad animalis generationẽ nullius esset momenti sine altera quam semen à cœlo accipit, quâ ratione partes animæ præter ratio-

*& nescio quâ cohærentiâ suam cõcinnavit telam.*

*Hîc citationis suæ finem fecit Adversarius, du-*



na-

*Jac. Zabar.* | *D. Job Freitag.*

*pius an cũ Zabarellâ animæ rationalis creationẽ defendere velit, an secus. Ita ipse sequi nequit illum, quẽ pro normâ & regulâ obtrudit aliis.*

tamen ipsam quoque à cœlesti principio nobilissimo, quod materiam tãtummodo præparet & idoneam reddat ad ipsam recipiendã, sed ipsammet animam non producat.

nalem, ita producuntur à cœlesti illo principio, ut de potestate materiæ ab eò educantur.

*Jac. Zabarell Libr. de Cal. Cœlest. c. 11.*

Sic facilè interpretari possumus verba Aristot. in tert. cap. secundi lib. de Animal. ortu, quæ à multis in pravum sensum trahuntur; quum enim dicat ibi Arist. calorem seminibus insitum generandi animal vim habere, proinde non elementarem

*D. Job. Freitag. thes. 17.*

Idem lib. de calore cœlesti cap. ultimo ex Aristotele docet, calorem seminibus insitum, habere vim generandi animal, proinde non elementarem esse, sed cœlestem ac divinum, siquidem calor igneus nullum animal generet: unde qui-

*Jac. Zabar.*

rem esse, sed cœlestem ac divinum, siquidē calor igneus nullum animal generat,hinc collegerunt distinctos esse specie calorē igneum & calorem vitalem: sed decepti sunt, quia diversa quidem sunt principia agentia quæ calore utuntur, sed ipsa caloris natura est ejꝰdem speciei: ignis enim non potest animal generare, neque animam de materia educere per calorem, quia nō potest agere supra proprias vires; at cœlum, & virtus vitalis cœlo proportione respondens potest per calorem animal ge-

*D. Joh. Freitag.*

quidā collegerunt (inquit) specie distinctos esse calorē igneum & calorem vitalem, sed decepti sunt, quia diversa quidē sunt principia agentia, quæ calore utuntur, sed ipsa caloris natura est ejusdem speciei; ignis enim non potest animal generare, neque animam de materia educere per calorem, quia non potest agere supra proprias vires; at cœlum & virtus vitalis cœlo proportione respondens potest per calorem generare animal. Calor ele-

*Jac. Zabar.*

*Hic Adversarius plurima omisit.*

nerare; ita ut si sumantur duo numero distincti calores, sed in gradu & intensione omninò similes, quorum uno forma elementaris utatur, altero autem utatur immediatè Cœlum vel anima ejus vices obtinens, hic generabit animal, ille verò nequaquam, sed solùm generabit elementum, vel mistum aliquod: calor enim elementaris in mistione agit in siccum & humidum, & ea regit, & unit, & mistionem absolvit, & formam misti de materiâ educit; at non educit animam, hæc enim eget agente super-

*D. Job. Freitag.*

mentaris in mistione agit in siccum & humidum, ea regit & unit, & mistionem absolvit, & formam misti educit, at non educit animam, hæc enim eget agente supereminẽte naturam elemẽtarem, quale est cœlum & anima seu virtus vitalis cœlo proportione respondens.

THES. 18.

In ipsâ elementari materiâ, ex qua hæc corpora generantur insitum est activum principium, nempè calor elementaris, à quo

*Jac. Zabar.*

pereminente naturam elementarem, quale eſt Cœlum & & anima, ſeu vitalis virtus Cœlo proportione reſpondens; ideò Ariſt. in memorato loco aſſerit omnem animã de foris accedere, quatenus principiũ activum non habet aliquod elementũ, aut vim elementarem, ſed cœleſte, & natura elementari præſtantius; contra quam evenit in formis elementaribus, hoc eſt, tàm elemẽtorum quàm miſtorum omnium inanimatorum: in ipſa n. elementari materia, ex qua hæc corpora generantur inſitum eſt activum

*D. Job. Freitag.*

quo abſolvitur miſtio & educitur forma miſti, quemadmodum etiam à virtute elementari educitur de materia forma elementi, quando ab aliquo elemento cõvertitur in naturã ſuam aliud corpus; & quamvis ad has quoque mutationes concurrat cœlum

*Hic iterũ Adverſarius multa omiſit.*

vum

lum

*Jac. Zabar.*

vum principium, nempè calor elementaris, à quo absolvitur mistio & educitur forma misti, quemadmodum etiam à vivente elementari de materiâ forma elementi, quando ab aliquo elemento convertitur in naturam suam aliud corpus: & quāvis ad has quoque mutationes concurrat Cœlum ut agens universale, nō tamen ut agens proximum & immediatum; nam proximum agens est vis elementaris, quemadmodū diximus.

*D. Ioh. Freitag.*

lum & agens universale, non tamen ut agens proximū & immediatum, nam proximum agens est vis elemētaris. Hactenus Zabarella.

*III. Ad-*

## III. *Adversarius dum generationem quandam æquivocam, respectu causarum universalium, dari, probare conatur, nec Dn. Sennerto contradicit, nec Aristotelicorum mentem assequitur.*

Ἔκθεσις.

Probare vult, dari generationem Æquivocam, quia Cœlum, Sol, & reliquæ stellæ, ad omnem generationem concurrunt. Verùm hoc pacto nec *Clariss. Dn. Sennertus* generationem Æquivocam negat, nec *Aristotelici* illam affirmant. Distinguunt enim inter Univocam & Æquivocam generationem, adeò ut univoca non dicenda sit æquivoca, nec æquivoca univoca; & semper ex *particularibus* causis, non ex universalibus, univocationem & æquivocationem judicant. Ridiculum proinde est, hominem statuere generari æquivocè, canem æquivocè, leonem æquivocè; imò omnia & singula genita æquivocè, ob hanc rationem, quia Sol tanquam universale agens concurrit ad generationem hominis, canis, leo-

*Quo sensu Aristotelici generationē Æquivocam defendant.*

*An homo, canis, & leo, generentur æquivocè.*

leonis &c. Atque ut hæc magis patescant, mensq; *Dn. Sennerti* clarior evadat, locum è *Libr. de Conſ. & Diſſ.* adducam, ubi Cap. 12. ſic legimus: *An ulla ſit generatio verè æquivoca, quæ ſine ullo planè ſemine fiat, ſi ea quæ quotidiè in naturâ fiunt, conſiderentur attentius, non ſine causâ dubitari poſſe videtur. In quam rem, ut rectius inquirere poſſimus, propagationum variæ differentiæ conſiderandæ ſunt. Ad omnem quidem propagationem plantarum & animalium, requiritur certa & peculiari modo diſpoſita ſeu οἰκία ὕλη, per quã forma ſe propagare poſſit: in aliis tamen ille apparatus materiæ eſt major & operoſior, in aliis minor: & propagatio in aliis arctioribus & anguſtioribus legibus & limitibus circumſcripta & concluſa eſt: in aliis latioribus & laxioribus. Animalia perfecta pleraq; ſaltem per commiſtionem ſeminis paterni & materni in utero materno generantur. Alia ova pariunt, è quibus calore fotis pulli excluduntur. In animalibus ignobilioribus verò & plantis generatio non ita anguſtis legibus concluſa eſt. Plantæ quædam per ſemina ſolùm terræ commiſſa propagantur: aliæ ſaltem per bulbos aut radices; aliæ utroq; modo; aliæ per ſurculos, ſed tamen eos*

*Quid de generatione Æquivocâ ſentiat Dn. Sennertus*

*eos*

*eos solùm, qui jam ad flores dispositi sunt: in aliis humor ille seminalis per totam plantam diffusus est, ita ut quocunque ramo seu radice avulsâ & terra commissâ propagatio fieri possit, sicut id fit in salice, & ferè in vite. Imò fungi si decoquantur, aut succus exprimatur & succus vel decoctum radicibus arborum affundatur, fungi inde nascuntur. A viro quoque fide digno accepi, è spumâ canis rabidi in veste hærente animalcula quædam canibus similia progenita fuisse. Nimirum illud seminale principium rerum minus nobilium in materiâ lentâ & tenaci sæpè quasi sopitum diu latere, & externis injuriis ac impressionibus resistere, tandemque iterum emergere, & suas actiones edere potest.*

## Responsiones Speciales.

*Ad Argum. I.*

Antecedens est falsum. Probatio è *Scaligero* incepta est. Scaliger enim ibi loquitur de Cœlo ut causâ *Universali*, particularesque causas non excludit. Hinc apertè ait ibidem, nempè *Exercitat.6.s5.* pendere hæc nostratia è superiori-

*Calor Elementaris formam misti non producit, nec calor Cœlestis animas. Scaliger pro nobis.*

rioribꝰ propter *æquivocam connexionem*, non propter *univocam effectionum communionem*. Unde & semper ibi urget præter agens universale, etiam agentia particularia, non saltem in hominum, sed etiam metallorum, saxorum, ranarum &c. generatione. Non ergò pro Adversario; sed contrà eum est Scaliger. Probatio verò è *Zabarellâ* desumpta nos non ferit. Æquè enim hîc contra Zabarellam, quàm contrà alios Aristotelis Interpretes *Clariss. Dn. Sennertus* disputat. Et sanè, non paucos errores, de *animæ rationalis creatione immediatâ*, de *collectione plurium graduum formarum elementarium*, de *differentiis caloris Elementaris & cœlestis &c.* in citatis illis locis habet Zabarella, quos hîc refutare nostri non est instituti. Hoc saltem inde apparet, Zabarellam suos etiam habuisse errores, unde non protinus ejus standum autoritate.

*Zabarella suos habuit errores.*

## *Ad Argum. II.*

*Cœlum, ut agens Universale, non excludit, sed includit agētia particularia.*

1. Major est nulla. Subordinata enim non sunt opposita. Agit sanè Sol, & agit homo, cum generatur homo; nec influxus hujus tollit influxum istius; nec

hec iſtius hujus. Hinc & Canon: *Unius effectus plures eſſe poſſunt cauſa.* Nempè, non ſaltem *Partiales*, ſed etiam *Totales*; nec ſaltem *diverſorum generum*, ſed etiam *diverſorum ordinum*. 2. Quoad Minorem lubenter ſcirem, quamnám rem in Mundo hoc inferiori immediatè generaret Sol? Argumentor ita: *Quicquid tanquam agens univerſale ad generationes in hoc mundo inferiori concurrit, illud nihil immediatè generat. Sol, Cœlum, & ſtellæ omnes, tanquam agentia univerſalia ad generationes in hoc mundo inferiori concurrunt. Ergò nihil immediatè generant.* Major ſat conſtat. Minòr eſt in ore omnium, & etiam ipſius Adverſarij th.16. Verumenimverò, profert contra rationem & experientiam Adverſarius, res immediatè à Sole generatas, nempè animalia è limo & quisquiliis producta. At, hoc eſt petere principium. 3. Animam nec ſolam generare, nec ſolam miſcere, etiam nos aſſerimus. Quid ergò hoc ad rhombum?

*Sol immediatè nihil generat.*

*Object.*

*Reſponſ.*

*Anima ſola non miſcet.*

*Ad Argum. III.*

Major falſa eſt. Nam 1. Deus, Cœlum, & Aſtra, cauſæ univerſales ſunt, quæ

*Ortus & interitus rerum,*

*prater Deum, Cœlũ, & Astra, alias causas particulares agnoscunt.*

quæ particulares non excludunt, sed includunt. Ita ergò argumentor: *De omni effectu particulari & specifico, causæ particulares & specificæ quærendæ & reddendæ sunt. Ortus & Interitus in his inferioribus sunt effectus particulares & specifici. Ergò de iis causæ particulares & specificæ quærendæ & reddendæ sunt.* Major patet, quia universalia ut rebus specificationem non largiuntur, ita nec nostram sistunt intellectionem. *Et scire, est rem cognoscere per causam*, non Universalem, sed Proximam & Immediatam.

*Efficientia causis particularib⁹ non denegãda.*

2. Causæ particulares efficientiâ suâ spoliandæ non sunt. Argumentor ita: *Quicunq; rerum ortus & interitus, naturæ naturanti, & cœlo astrisq;, in totum adscribit, is causas secundas & particulares præstantissimâ agendi facultate spoliat. Adversarius rerum ortus & interitus, naturæ naturanti, & cœlo astrisq;, in totum adscribit. Ergò causas secundas & particulares, præstantissimâ agendi facultate spoliat.* Major probatur, quia *generatio est naturalissimum & præstantissimum opus viventium. 2. de anim. cap. 4.*

*Ad Arg.*

*Ad Argum. IV.*

Et Major & Minor laborant. Major est trimembris, & quoad duo priora conceditur, quoad tertium negatur. Nempè 1. Quicquid brutum est & proprio fine non agit, illi reverà opus generationis & mistionis adscribi non potest. Generationis namq; opus, plenum sapientiâ & admiratione est, & ab agente sapientiâ & scientiâ destituto fieri nequit. 2. Illud verò, quod in agendo à prioribus, superioribus, & universalibus dependet, utiq; opus generationis & mistionis expedire potest, siquidem dependentia illa influxum non tollit, aliàs omnis causarum particularium, imò & universalium creatarum, tolleretur efficientia. Ita enim argumentarer: *Quicquid in agendo à causâ superiori dependet illud non agit. Sol, Luna, ignis, equus, homo, & omne agens creatum, in agendo à causa superiori dependet. Ergò non agunt.* Major est Adversarij. Minor probatur, quia quod dependet in essendo, etiam dependet in operando: at creaturæ omnes dependent à Deo in essendo: ergò & in operando. Item: *Quicquid in agendo à prioribus, superioribus,*

*An bruto & fine proprio destituto, opus generationis committendū.*

*An dependenti à superioribus causis, opꝰ generationis committendū.*

*ribus, & universalioribus dependet, illud opus generationis expedire nequit. Homo in agendo à prioribus, superioribus, & universalioribus, dependet. Ergò homo opus generationis expedire nequit.* Quoad Minorem Syllogismi ab Adversario prolati, quæso cur naturam particularem brutam vocat? Cur eam proprio fine non agere putat? Si bruta est, quia intellectu caret; etiam cœlum brutum erit; & si ob proprium finem non agit, quia non intelligit, itidem cœlum proprio fine non aget. Respondeo ergò 1. *Indirectè*, per Instantiam: *Quicquid brutum est, & proprio fine non agit, illi opus generationis & mistionis adscribi non potest. Cœlum brutum est, & proprio fine non agit. Ergò Cœlo opus generationis & mistionis adscribi nequit.* 2. *Directè*, per Inficiationem. Falsum est, quod natura particularis bruta & insipiens sit: est enim rei cuivis à Deo concessus suus sciendi & cognoscendi modus & modulus. Nam ut res quædam sunt *Supremæ*, ut homines; quædam *Mediæ*, ut bruta; & quædam *Infimæ*, ut plantæ & inanimata: ita etiam modus sciendi & cognoscendi, alius est *Supremus*, alius *Medius*, alius *Infimus*.

*An natura particularis bruta sit.*

*An natura particularis proprio fine non agat.*

*Vt res sunt variæ, ita & varii sunt sciendi & cognoscendi modi.*

*ſimus*. *Supremus* eſt, cum non ſaltem finis ſub ratione boni cognoſcitur, ſed etiam proportio & habitudo mediorum ad obtinendum illum ponderatur. Talis cadit in naturas Rationales, & vocatur *Cognitio Intellectualis*. Sic finem ſuum Studioſus cognoſcit, & de mediis quibus illum obtinere queat, maturè deliberat.

*Supremus cognoſcendi modus, ſeu Cognitio Intellectualis.*

*Medius* eſt, cum finis ſub ratione boni cognoſcitur, ſaltem per ſenſus, & non cognitâ proportione & habitudine mediorum ad illum obtinendum. Talis & in homines & in bruta cadit, & *Cognitio Senſualis* dicitur. Sic canis panem oblatum cognoſcit, & absq; conſilio & deliberatione arripit.

*Medius cognoſcẽdi modus, ſeu Cognitio Senſualis.*

*Infimus* eſt, cum finis ſub ratione boni cognoſcitur per naturam à Creatore indultam & attributam. Talis & in homines, & in bruta, & in plantas, & in omnia inanimata cadit, & *Cognitio Naturalis* vocatur. Sic cognitione hac rectæ & directæ araneæ artificioſiſſimè formant telam, & in tali ut plurimum loco in quo muſcarum eſt frequentia; ſic & formicæ, quæ ſæpè nunquam ſenſerunt hyemem, ne hyeme fame pereant, colligunt grana in æſtate; & hirundines

*Infimus cognoſcẽdi modus, ſeu Cognitio Naturalis.*

*Cognitio Naturalis in araneis, formicis, hirundinibus &c.*

nidos suos in loco altiori, ad quem accessus est difficilior, miro struunt artificio. Ita & vitis fugit brassicam, &, (ut *Johan. Baptista Porta in Mag. Natur. Libr. 1. cap. 7.* ait) quum intentis claviculis omnia complecti soleat, solam refugit brassicam: nam propè sentiens in adversam partem se torquet, ut si quis eam admoneret hostem esse in propinquo, dumq; coquitur brassica, vinum vel si paucissimum instilles, nec coquitur, nec ipsius color constat. Nihil ergò nobis brutum & insipiens in totâ est Naturâ.

*Finis naturæ particularis.* Falsum etiam est, quod natura particularis ex fine proprio non agat, adeò ut Adversarius nos hîc recordari faciat illius, *nihil tàm absurdè dici posse, quod non dicatur ab aliquo malorum Philosophorum.* Demonstrarunt hoc jamdudum, & ex Aristotele, & ex Naturâ, Peripaterici, cùm in genere, quia omnes illæ naturæ particulares semper eodem modo agunt, tùm in specie de homine, de brutis, de plantis, & de cæteris inanimatis. Hinc & concludere non dubitarunt: *Si quis existimet naturam agere quicquam inconsultò & temerè, ridebitur ab Aristotele, explodetur à Platone, Galeni jussu etiam*

*vapu-*

*vapulabit.* Nec refert, quod opus Naturæ dicatur opus Intelligentiæ, cùm Deo non secus ac Naturæ ipsi adscribantur naturæ opera, quia vires operandi concedit, & ad omnia singulaq; opera efficacissimè concurrit. Cum fortibus agit fortiter, cum debilibus debiliter, cum liberis liberè, cum necessariis necessariò, cum contingentibus contingenter. Et mirum est valdè, Adversarium nescire actiones Causæ *Primæ* non excludere actiones Causarum *Secundarum*, & contrà. Breviter ex abundant argumentor: *Quicquid non intendit effectum, illud non est causa per se effecti. Naturæ particulares non intendunt effectum. Ergò non sunt causæ per se effecti.* Major est clara, quia ad causam per se spectant duo: 1 *influxus.* 2. *intentio.* Minor est Adversarij, qui bovem in Venerem ferri putat, non intentione suâ, sed fine & consilio universi, cum opus Naturæ sit opus Intelligentiæ. Quasi verò Causæ Subordinatæ sint oppositæ, & simul stare nequeant.

*Opus naturæ cur & quomodo dicatur opus Intelligētiæ.*

*Concursus Dei universalis ad actiones causarum secundarum.*

*Absurdū ex Adversarii opinione.*

*Ad Argum. V.*

Quamvis argumentum hoc è responsionibus hactenus datis sponte suâ corruat: tamen pauca ad id reponere lubet. Mira proinde est Major. Qualis enim consequentia, formæ particulares sese multiplicare queunt, ac per illam multiplicationem species præstant salvas & incolumes: ergò ordo inter superiora & inferiora turbatur, disciplinæ philosophicæ & veritatis regulæ pessundantur, artium studia corrumpuntur, Paracelsica barbaries reducitur, & atheismus introducitur. Risum teneatis amici. Quid si argumentum inverterem? Argumentor: *Quicunq; formis particularibus potestatem sese multiplicandi, ac per illam multiplicationem species proprias conservandi, adimit, is (1.) ordinem inter superiora & inferiora turbat, (2.) disciplinas Philosophicas & veritatis regulas pessundat (3.) artium studia corrumpit, & (4.) atheismum introducit. D. Freitagius formis particularibus potestatem sese multiplicandi, ac per illam multiplicationem species proprias conservandi, adimit. Ergò D. Freitagius (1.) ordinem inter superiora & inferiora turbat, (2.) disciplinas*

*Adversarius non Disputatorem, sed Calumniatorem agit.*

*Inversio.*

*Philo-*

*Philosophicas & veritatis regulas pessundat,* (3.) *artium studia corrumpit, &* (4.) *atheismum introducit.* Major probatur, quoad *primum*, quia sic Sol & homo non generant hominem, Sol & canis non generant canem, nec correspondentia influxus causarum universalium & particularium suum amplius habet vigorem. Quoad *secundum*, quia Regulæ: *In naturâ nihil est otiosum: Omne bonum est sui diffusivum & communicativum: Efficiens particulare speciei dat univocationem, non universale: Tota natura agit propter finem: Actiones causarum secundarum actioni causæ primæ non opponuntur sed subordinantur: Nihil in naturâ est mutilum & mancum, sed quodvis sibi sat pulchrum, bonum, totum, & perfectum &c.* cadunt & uno impetu corruunt. Quoad *tertium*, quia scire est rem per causam proximam cognoscere, qui ergò causam universalem saltem ponit, proximamq; removet, scientias ipsas & tollit & corrumpit. Quoad *quartum*, quia non creditur expressis Dei verbis, crescite & multiplicamini: imò eo ipso quo causis particularibus efficientia illa negatur, Monstra, aliàs *Naturæ ἁμαρτήματα* dicta,

ipsius *Dei ἁμαρτήματα* non sine blasphemiâ audient. Et sic Adversarij telum patitur retorsionem. Nostram sententiam quod spectat, cum ea causas Particulares Universalibus accuratè contradistinguat, suumq; influxum & illis & istis attribuat, nec ordinem ullum, nec disciplinam ullam, nec regulam ullam, nec artem ullam, turbat & deturbat, & multò minus atheismum introducit.

PENTAS SEPTIMA.

*Argum. 1.*

Quicunq; discursu inani & frivolo ex sententiâ de eductione formarum, nonnulla malè infert, ille audiendus non est. D. Sennertus discursu inani & frivolo ex sententiâ de eductione formarum nonnulla malè infert. Ergò audiendus non est. Minor probatur, quia, cum docent Aristotelici ex potentiâ materiæ educi formas, malè D. Sennertus infert, formas hac ratione fieri ex accidentibus & qualitatibus. Potentia enim in materiâ primâ non est qualitas vel dispositio qualitativa, quæ sit accidens, sed in ipsius entitate consistit.

*Argum.*

*Argum. II.*

Si generatio ita fit, ut ex potentiâ materiæ primæ educantur formæ Elementorum, & ex materiâ secundâ (elementis scilicet) educantur formæ mistorum inanimatorum & animatorum vegetabilium & animalium, frustrà à D. Sennerto contra formarum eductionem tot moventur dubia. Sed prius est. Ergò & posterius. Probatur prius, quia est vetus & orthodoxa sententia.

*Argum. III.*

Si mistio vi & actione mutua qualitatum primarum, à formis à quibus dependent directarum, potissimùm verò superiorum virtute inferiora regente gubernatarum, oritur & perficitur, frustrà ad formam præsentem recurritur. Sed antecedens est. Ergò & consequēs. Ad antecedens n. notandum, non dicēdum solas ibi agere qualitates & mixtionem formæq; eductionem perficere: siquidem non ipsæ solæ agunt, sed directæ à formis à quibus dependent, potissimùm verò gubernatæ virtute superiorū, ad actum hæc inferiora ducente, mistiones generationesq; moderāte, & ut tan-

tantum terræ tãto aquæ miſceatur procurante, & ut ex miſtorum coagmentatione forma eſſe proprium largiens, & in certâ rerum claſſe, qua ab aliis ſpecificè differat, ſtatuens, exoriatur, perficiente.

*Argum. IV.*

In quodcunq; omnia ſublunaria reſolvuntur, ex eo etiam illa quoad materiam & formam generantur. In Elementa omnia ſublunaria reſolvuntur. Ergò etiam ex Elementis quoad materiam & formam generantur.

*Argum. V.*

Si in miſto plura ſunt, quàm elementa, ſequitur per miſtionem fieri formã, quæ eſt altioris naturæ quàm elementaris. Sed in miſto plura ſunt quàm Elementa. Ergò per miſtionem fit forma, quæ eſt altioris naturæ quàm elementaris. Major probatur, ſiquidem res proptereà ſubit novas miſtiones, ut nobiliores acquirantur formæ, unde pro varietate miſtionum & remiſtionum variant etiam formæ eductæ.

Adver-

## Adverſarij Verba.

### Thesis XX.

*Materia prima uti formarum ita & qualitatum eſt expers, & ad omnium illarum receptionem æqualem habet reſpectum. Qualitates quoad ſui originem per formam generantur in materia quoad ſubjectum & inhærentiam, non ſunt propriè in materiâ, nec in formâ, ſed in toto, ex materia & forma conſtante. Proinde in materia prima non poteſt ex qualitatibus generari forma, uti inferebat D. Sennertus in libr. de Gal. cum chym. conſ. & diſſ. quia oportuit præfuiſſe formam cujus vi genitæ & productæ ſint qualitates. Omnis ſubſtantia prior eſt ſuis accidentibus, ut cauſa ſuo effecto. Inanis itaq; & frivolus eſt diſcurſus de generatione ex qualitatibus quod formas ſequantur, uti quantitas materiam. Proinde potentia in materia prima non eſt qualitas vel diſpoſitio qualitativa, quæ ſit accidens, ſed in ipſius entitate conſiſtit, & cum quæritur à quo actuetur, vel in actum deducatur, animus ad primam & ſecundam eſt inflectendus. Ex potentia prima formas Elementorum eductas eſſe, & hæc elementa materiam eſſe ſecundam, ex qua res omnes generentur, ve-*

*tus est & orthodoxa sententia. Materia prima recipit formas elementorum, ex quorum mixtione corpora cætera videlicet mista inanimata & animata, vegetabilia, animaliaq; omnia generantur. Hæc autem elementaria corpora miscentur, vi & actione mutua qualitatum primarum quibus excellenter insignitæ sunt, in quo opere calor primas tenet, humidumq; cum sicco unit, determinat massamq; penetrando ad coalitum, per minimarum sensuiq; impervíarum partium juxta positionem, elementa componit, ut unum aliquod fiat consequens, & indipiscens potentiam ad formam istam propter quam fiebat mistio. Neque tamen dicendum solas ibi agere qualitates & mixtionem formæq; eductionem perficere: siquidē non ipsæ solæ agunt, sed directæ à formis à quibus dependent, potissimum verò gubernatæ virtute superiorum, ad actum hæc inferiora ducente, mistiones generationesq; moderante, & ut tantum terræ tanto aquæ misceatur procurante, & ut ex mistorum coagmentatione forma corpus definiens, eiq; suum esse proprium largiens, & in certâ rerum classe, quâ ab aliis specificè differat, statuens, exoriatur, perficiente.*

THESIS XXI.

*Ex elementis hac ratione omnia sublunaria*

*ria quoad materiam & formam (animam humanam excipe) generari ex eo patet, quod omnia vicißim in Elementa resolvantur, ex quo pariter conspicuè allucet, elementorum formas in mistis non perire, sed in his materia quandam vicem sustinere. Cum autem in re mista & ex elementis genita, plus sit quàm elementa, alia enim inest natura in mistis & mistorum corporibus ex elementis ortis, qua & ab elementis mistisq; elementatis, ex quibus nata sunt, cæterisq; rebus invicem differunt, quæ ipsis essentiam definit & constituit, actumq; cùm essentiæ tùm existentiæ largitur, qua ratione gemma differt à metallo, & lapis ab herba; Est enim materia ens in potentia contrahibilitatis per formam, sequitur per misturam aliquid genitum, quod altioris sit naturæ quam Elementaris, quod est misti rerumq; ex elementorum mistione mistorumq; remistione resultans forma. Rem autem tot subire mistiones, ut nobiliores acquirantur formæ, ex naturæ ordinata stataq; agendi lege patet. Natura non statim ex materia prima, neque primò & immediatè, ex elementis generat animal, sed multis intercedentibus mistionibus quarum priores fiunt propter posteriores, ut nobiliores producantur rerũ essen-*

*essentia; Per varias siquidem mistiones, variaq; rerum contemperatione materia sic disponitur, ut nobilißimæ formæ fiat capax subjectum.*

*Tot enim formas mistorum remistionesq; mistorum subit, ut tandem nobilißimam quam natura intendit, adipiscatur. Unde forma animalis, & demum humana nobilißimum esse subjectum, & hoc supremum mistionis gradum esse indeptum, philosophi perhibent. Ex elementis enim nascuntur mista, ex mistis vegetabilia, ex vegetabilibus cibaria ex his chylus, ex chylo sanguis, ex sanguine semen, ex semine & sanguine partes corporis organici, formam cùm animantium tùm humanam recipientis.*

## Responsio Generalis.

### *Adversarius ad Clariß. Dn. Sennerti rationes quædam excipit; sed miserè.*

Ἔκθεσις.

Formas è materiæ potentiâ educi non posse, rationibus sat validis probat *Dn. Sennertus.* Ita enim in *Libr. de Chymic. cum Galen. & Arist. Cons. ac Diss. cap. 9.* inquit:

inquit: *Si ita velint rem explicare; Materiam quidem actu in se non continere formas, sed in materiâ esse quandam dispositionem & propensionem ad formam, quæ ubi compleatur, tum rem jam fieri actu, quod erat antea potestate: seminisq; hanc esse naturam ut accedente adæquatâ causâ efficiente ex sua potentia quasi edat actum seu formam, quæ ante actionem agentis nondum actu aderat; atq; ita potentiam hanc nihil esse, quàm certam determinationem, ut ex hac materiâ fiat hoc, non aliud, e.g. ex ovo pullus, non equus.* Nihilominus *quæritur, quomodo ista potentia compleatur, & unde actus seu forma quæ substantia est, ad actionem agentis proveniat & originem habeat; an nimirum illa potentia & dispositio quæ qualitas est mutetur in substantiam; an verò ex nihilo fiat forma, ita ut agens nihil de suâ essentiâ illi, præter actionem, tribuat. Quorum utrumq; absurdum est & à veritate maximè alienum; formam scilicet vel ex nihilo fieri, vel actum ex materiâ, & substantiam ex accidente, & λόγον ὀυσίας ex qualitatum crasi quacunq; deducere.*

*Eductio formarũ è potentiâ materiæ, cur à Dn. Sennerto improbetur.*

Hic jam Adversarius rationes allatas infringere conatur, sed miserrimè. Ait inanem & frivolum esse discursum de

*Except.*

generatione ex qualitatibus, quia materia prima non habeat qualitates, unde etiam è qualitatibus istis fieri non possint formæ. Verùm inanis & frivola est hæc exceptio, quia forma producenda, ex materiæ potentiâ, non Universali, sed Particulari, quæ sanè qualitatibus non caret, ab Aristotelicis produci & educi dicitur. Ait etiam, potentiam actuari diversimodè, prout vel prima vel secunda est: sed saltem dat sine mente sonum, uti visuri sumus in Responsionibus Specialibus.

*Respons.*

## Responsiones Speciales.

### *Ad Argum. I.*

Transeat, quod Adversarius confundat *Subjectum Quod* cum *Subjecto Quo.* Minor argumenti facilius dicitur, quàm probatur. Quamvis enim potentiam materiæ primæ in ejus entitate consistere nonnulli Aristotelicorum asserant: tamen id non de potentiâ secundâ, verùm de primâ intelligendũ venit. Cum autem forma aliqua educenda est, è quanám educitur potentiâ? E secundâ & particulari respondent saniores Aristote-

*Quanam potentia materiæ in ejus entitate juxta Aristotelicos cõsistat.*

ſtotelici, non ex univerſali. Rationem dant hanc, quia prima eſt remota, univerſalis & indifferens ad omnes formas recipiendas; ſecunda verò eſt propinqua, particularis, & ad certam formam reſtricta, & nihil aliud quàm diſpoſitio certa ab interveniente principio externo facta, ſecundum quam ad hanc potius quam ad aliam formam recipiendam determinatur. Hinc 1. è verbis & mente *Clariſſ. Sennerti* argumentor: *Nulla ſubſtantia fit ex accidentibus. Forma eſt ſubſtantia. Ergò forma non fit ex accidẽtibus.* Porrò: *Quicquid non fit ex accidentibus, illud etiam nõ fit ex potentiâ materiæ. Forma non fit ex accidentibus. Ergò forma etiam non fit ex potentiâ materiæ.* Ratio Majoris Syllogiſmi Primarij eſt, quia illa potentia eſt accidens, ſecunda enim eſt, & ex primâ nulla certa forma educitur. Quid jam excipit Adverſarius? Materiam primam nullas habere qualitates, ait, adeoq; potentiam illam eſſe materiæ entitatem, nõ qualitatem. Verùm, nulla forma fit niſi è ſecundâ ſeu Particulari potentiâ, quæ ex conſenſu omnium Ariſtotelicorum eſt diſpoſitio qualitativa, non verò ipſa materiæ entitas.

*Dn. Sennerti argumentatio.*

*Adverſarii Exceptio.*

*Exceptionis Refutatio.*



2. Ex

*Adversarii contradictio.* 2. Ex Adversarij Disputatione de *Morbis Substantiæ* hunc formo Syllogismum: *Quicunq; statuit formas educi è temperaturâ & dispositione materiæ, ille statuere nequit formas educi ex ipsa materiæ primæ entitate. Adversarius statuit formas educi è temperatura & dispositione materiæ. Ergò statuere nequit eas ex ipsâ materiæ primæ entitate educi.* Major patet, quia temperatura & entitas materiæ unũ idemq; non sunt, differuntq; ut accidens & substantia. Minor est ex *Disput.* de *Morbis Substantiæ*, ubi aliquoties ait, formas è materiæ temperaturâ & dispositione prodire. Atque sic egregiè Adversarius sibi contradicit, dum in hac Disputatione negat, quod in illâ affirmat.

*Ad Argum. II.*

Minor insignem habet principij petitionem. Id enim quod jam probandum erat, nudè ita recensetur, ac si Adversarij dicere, esset probare. Hoc nempè est, quod inprimis quæritur, *à* *Quæstio Dn. Sennerti.* *quo actuetur potentia?* Respondet Adversarius, *animus ad primam & secundam* *Responsio Adversarii.* *inflectendus est. Ex potentiâ primæ formas elementorum eductas esse, & hæc elementi*

*menta materiam esse secundam, ex qua res omnes generentur, vetus est & orthodoxa sententia.* Bellè rem suam agit. Hoc sanè est dicere, non probare. Ita habet D. *Sennertus: quæritur, quomodo ista potentia compleatur, & unde actus seu forma, quæ substantia est, ad actionem agentis proveniat & originem habeat &c.* Si jam respondet D. Freitagius, esse veterem & orthodoxam sententiam, ex potentiâ materiæ primæ eductas esse formas elementorum, & ex elemẽtis formas mixtorum & animatorum: quid quæso respondet? Risum movet. Non, an vetus sit hæc sententia, sed unde actus ille veniat, quæritur? Et an sententia hæc orthodoxa sit, an non, jam lis est, quomodo autem orthodoxia ejus probanda? Plura hac de re suprà in Thesibus. *Responsionis Refutatio.*

*Ad Argum. III.*

Minor iterum eâdem facilitate, quâ ab Adversario affirmatur, à nobis negatur. Probet Adversarius, qualitates facere formas; probet, formas elementares per qualitates gignere formas alias superiores; probet, virtute superiorum formas elementares producere

 for-

formas nobiliores; probet, agentia superiora procurare, ut tantum terræ tanto aquæ misceatur; probet, agentia superiora perficere, ut ex mistorum coagmentatione forma exoriatur. Hæc n. omnia non sunt nobiscum nata principia, nec aliàs etiam ita manifesta, aut forsan concessa, ut saltem recitari debeant. Nos breviter ita argumentamur: *Quæcunq; se habent merè passivè, illa formam producere nesciunt. Materia prima & secunda se habent merè passivè. Ergò formam producere nesciunt.* Major patet, quia nihil fit sine causâ efficiente, quam non præstant principia passiva, sed activa. Minor probatur, quia materia est principium passivum, & sive prima sive secunda consideretur, semper in ordine ad formam producendam merè passivè se habet, consentientibus facilè Aristotelicis. Si ad superiora agentia fugit Adversarius, sic argumentor: *Quæcunq; non influunt influxu particulari, proximo, & specificante, sed universali, remoto, & indifferente, illa nec elementorum, nec mistorum, nec animatorum formas producunt. Agentia superiora non influunt influxu particulari, proximo, & specificante, sed universali,*

*Nec Prima, nec Secunda Materia producunt formam.*

*Agentia cœlestia formam non producunt.*

*versali, remoto, & indifferente. Ergò agentia superiora nec elementorum nec mistorum nec animatorum formas producunt.* Major probatur, quia specificationem dant causæ particulares, non universales, uno ore fatentibus Peripateticis. Cur ergò fit forma ignis, non terræ, & forma equi, non auri? Si dicit, ob dispositionem materiæ: respondeo, de causâ efficiente quæritur, non de materiâ, siquidem efficiens causa proxima dato effectu non potest negari. Plura in *Tractatu Physico-Medico de Morb. tot. Subst. Antith. quæst. 4. Resp. 1.*

*Dispositio Materiæ formam non producit.*

*Ad Argum. IV.*

Utraq; præmissarum falsa est. 1. Major: quia principia *generationis* confundenda non sunt cum principiis *constitutionis*. Illa rationem habent causæ *Externæ*, ut ipse Adversarius ait thes. 3. & pluribus; hæc *Internæ*. Cum ergò quid resolvitur, in interna sua principia resolvitur è quibus constàt, non in externa è quibus non constat. Unde & Canon: *in quæ quid resolvitur, ex iis constat.*

*In quod quid resolvitur, ex eo non protinus generatur.*

Hinc idem est, ac si Adversarius sic argumentaretur: *In quodcunq; quid resolvitur, ex eo etiam generatur. Caseus in vermes resolvitur. Ergò etiam caseus è vermibus generatur.* Seu: Equus & taurus in vermes resolvuntur. Ergò equus & taurus è vermibus generantur. 2. Minor falsa est, siquidem experientia testatur, species rerum naturalium resolvi in suas atomos, quæ intransmutabiles seu impassibiles sunt. Hinc ligno corrupto aut cadavere putrefacto, aliquot millia atomorum egredi solent, quæ & nares, & oculos, & alia sensuum organa sat afficiunt, imò morbos mortemq; non rarò subitò inferunt. Qua de re egregiè *Dn. D. Sennertus in Consf. & Dissens. cap. 11.* his verbis: *Superficiales isti naturæ scrutatores nimis cæcutientibus oculis naturales istas resolutiones aspiciunt, & ut Scaligeri joco Exerc. 307. f. 12. utar; sæpè murem farinâ aspersum eundem putant cum domino pistrini. Cum cadaver, inquiunt, aliquod putrescit, ignis & aer in auras evaporat; humidum diffluit; fimus loco terræ relinquitur. Quæso, quisquis es, qui ita judicas cadaveri putrescenti nares propiùs admove, & vel fætor ille te docebit, non purum ignem*

*Resolutio in Atomos*

*& ae-*

*& aerem esse, quod exbalat, sed compositum adhuc, aliumq; odorem cadaver equi, alium bovis, alium hominis cadaver, alium plantam hanc vel illam putrescentem exhalare. Ut enim res integræ aliæ alium habent odorem, alium rosa, alium ruta, alium absinthium, quorum tamen quodlibet de exhalatione sulphureâ testatur: ita etiam in putredine (ut & in combustionibus) aliæ alium exspirant eâdem de causâ, & ob eandem sulphuream exhalationem. Quas certè exhalationum differentias vel odoratu agnoscere non semper inutile fuerit, atque id nec Chymici, nec Medici neglexerunt. Vermes enim in intestinis latentes ex odore, qui ex ore exhalat, non solùm Medici multi, sed & non pauci è vulgo deprehendere possunt. Qui non imminentem gangrænam odoratu deprehendere possit, parum exercitatus & cum ægrotis minus versatus est vel Chirurgus vel Medicus. Fimum si terram puram putas, multum erras. Putrida urina, vel fimus, postquam computruit, salem terræ admistum plurimum continet; quod facilimè resolutione deprehendi potest &c.* Et Cap. 12. *Corruptionem διακρίσει fieri multa testantur. Ubi enim ex re aliquâ quæ vel putrescit, vel comburitur, vel aliàs à calore*

*resolvitur, vapor aut fumus attollitur, visus quidem è longinquo corpus continuum esse judicat; cum tamen non sit continuum, sed atomorum multa millia inter se confusa, ut vel visu intentiore animadverti potest. Nam videmus picem, vel aliam rem accensam, maximum aeris spatium, atomis igne resolutis occupare. Idem operationes Chymicæ testantur; inprimis sublimatio, ubi atomi illæ in alembico colliguntur &c.* E quibus sic argumentor: *Quæcunq; resolvuntur in suas atomos impassibiles & ulterius non transmutabiles, illa non nudè resolvuntur in Elementa. Corpora sublunaria corrupta resolvuntur in suas atomos impassibiles & ulterius non transmutabiles. Ergò non nudè resolvuntur in Elementa.*

### *Ad Argum. V.*

Major est nulla. In misto plura esse, quàm Elementa, semper ingeminat *Clariss. Dn. Sennertus.* Idem cùm jam afferat Adversarius, non video an cum *Clariss. Sennerto* consentiat, & secum dissentiat, an verò ambiguitate ludat. In misto plura quàm elementa esse, ita *Dn. Sennertus* intelligit, alium gradum naturæ, seu aliam formam specificam formis

*Quo sensu in misto plura sint, quàm Elementa.*

formisElementaribus nobiliorem, præstantiorem, & superiorem, in misto esse: quod & si putat Adversarius, uti verba th. 21. innuere videntur, quærimus, unde illa nobilior forma venerit? Si respondet, ex mistione quatuor Elementorum; regerimus è Scaligero: *Quis te malus genius Alexandreus adegit eo: ut miserè crederes solà elementorum mistione, fieri posse, ut ferrum trahatur à Magnete?* Exerc. 101. s. 14. Et *Exerc. 307. s. 12. Si anima, ut illæ belluæ carnifices animarum temerè litigant, conflaretur ex elementorum formis: ipsæ formæ elementorum corruptæ plus possent, quàm integræ.* Et ne autoritatibus nos pugnare putet Adversarius, sic argumentamur: *Quicquid habet naturam nobiliorem quàm elementa, illud ex mistione Elementorum non venit. Mista habent naturam nobiliorem quàm elementa. Ergò mista ex mistione elementorum non veniunt.* Major patet, quia effectus non est nobilior suis causis. Misceantur ergò Elementa utut velint, tamen saltem merè elementares sese ostentabunt formæ, efficaciæ minoris, (ut in mistionibus ob contrarietatem fieri solet) quàm ipsa Elementa pura. Minor

*An formæ Elementaribus formis nobiliores, è mistione quatuor Elementorum veniant.*

Minor fuit conceſſa. Cætera quæ de miſtione dici poſſent, patent è ſuperioribus, & inprimis è *Reſponſ. Gener. II. Pentad. V.*

## PENTAS OCTAVA.

### *Argum. I.*

Quemadmodum ſe habent Elementorum formæ & qualitates, ita etiam ſe habent miſtorum diſpoſitiones & qualitates. Sed Elementorum formæ & qualitates non abolentur, ſed in miſto ſub alienâ formâ materiæ quandam vicem ſuſtinentes permanent. Ergò etiam miſtorum diſpoſitiones & qualitates priores ſub ultimatis formis non planè exſpirant.

### *Argum. II.*

Ubicunq; ſunt nobiliores formæ, ibi etiam ſunt nobiliores qualitates. In miſto ſunt nobiliores formæ. Ergò etiam in miſto ſunt nobiliores qualitates: & per conſequens ex variarum rerum miſtione oriuntur qualitates occultæ.

### *Argum. III.*

E quocunq; pulcherrima reſultat de rerum generibus & ſpeciebus ſpeculatio,

tio, illud negandum non eſt. Ex corporum miſtione & variâ remiſtione, ad formam ultimam tendente & generationem perficiente; pulcherrima reſultat de rerum generibus & ſpeciebus ſpeculatio. Ergò corporum miſtio & varia remiſtio ad formam ultimam tendens & generationem perficiens, neganda non eſt. Minor probatur, quià ſic videmus quomodo natura formas univerſales & eſſentiales genericas aſſumat, illisq; particulares & exiſtentiales conjungat; quomodo rerum genera & eſſentiæ in univerſalibus conſerventur; quomodo ex materiâ fluat ratio generis, & ex formâ ratio differentiæ; quomodo actus dans eſſentiam non ſimul det exiſtentiam; quomodo roſa tempore hyemali hæreat in principiis eſſentialibus, quibus per formam ultimatam actuatis conſequitur eſſentiam & omnia quæ ſpeciem roſæ propriè comitantur; nec non quomodo in ſemine animantium principia ejus deliteſcant, materiæ vicem ſuſtinentia, ex cujus potentiâ exortâ formâ, quæ actu non inerat, prognaſcitur animal.

*Argum. IV.*

Quicquid ad corporis partes integrantes non ſpectat, nec ab eo deciſum, ſed ſaltem utile excrementum eſt, illud inanimatum eſt. Semen ad corporis partes integrantes non ſpectat, nec ab eo deciſum, ſed ſaltem utile excrementum eſt. Ergò ſemen inanimatum eſt. Minor probatur, quia corpus non mutilatur cum ſemen profunditur, nec pars integralis aut membrum deperditur.

*Argum. V.*

Quicquid formæ hominis contrarium eſt, illud actu non vivit, potentiâ tamen proximâ, virtute uteri in actum deducendâ, vitam adipiſcitur. Semen humanum formæ hominis contrarium eſt. Ergò ſemen humanum actu non vivit, potentiâ tamen proximâ, virtute uteri in actum deducendâ, vitam adipiſcitur. Major probatur & declaratur ſimili de ovo, quod non eſt vivens, ſed convenienti caloris adminiculo & fotu, & vivificatur & in actum excitatur.

Adver-

# Adverſarij Verba.

## THESIS XXII.

*Fiunt itaq; iſtæ miſtiones & miſtorum remiſtiones non fruſtra, atq; uti primorū corporum elementarium formæ & qualitates non abolentur, ſed in miſto ſub aliena forma materiæ quandam vicem ſubeuntes permanent, ita & diſpoſitiones & miſtorum priores qualitates ſub ultimatis poſtremo miſtorum formis nobilioribus, non ita planè exſpirant, & uti propter rerum nobiliorum generationem variæ ſiebant miſtiones, ita qualitates novæ per novas formas acquiſitæ non omninò pereunt. Nobiliores autem ſunt formæ miſtorum quàm elementares, & formas digniores ſequuntur qualitates præſtantiores, aliam & diverſam, atque excellentiorem quam elementares virtutem habentes. Inflectuntur enim elementares in rerum variis ad optima tendentibus generationibus. Calor elementi hac ratione temperatur ut fiat animalis, neque urat ſed vivificet, præcipuè cum præſtantioris formæ evadit inſtrumentum. Cæteræ à formis miſtorum generatæ qualitates, partim* ſub ulti-

*sub ultimata manent (mista misceri in mula, seminaq; ad generationem misceri videmus) recedentibusq; iisdem, in subjecto perdurant, veluti calor piperis in sanguine, quo pacto in sanguineis & carnulentis partibus, sanguinis, & in spermaticis, seminis qualitates observare est. Ex variarum rerum mistione, quarum formarum qualitates non exspirant sub ultimata, occultarum qualitatum rationem exstruendam jamdudum arbitratus sum, quarum actiones sunt mirabiles propter indicibilem variarum qualitatum idiosyncrasiam, præcipuè si à forma dirigatur.*

## THESIS XXIII.

*Ex hac mistione & variâ remistione ad formam ultimatam tendente, generationem perficiente, pulcherrima resultat de rerum generibus & speciebus speculatio. Adsumit enim natura primò formas universales & essentiales genericas, dein particulares & existentiales. In & sub illis rerum genera & essentia perpetuant. Et ne his pereuntibus deficerent, in illis conservantur ad æternitatem quandam. Uti itaq; ex communibus elementorum & mistorum corporibus, animalium corpora tàm brutorum quàm homi-*

*num*

*num producuntur, ita commune habent genus. Redolet etiam genus materiam. Et ut per certas formas vicißim est distinctio generis in species, ita formæ specierum in rationalibus & brutis contrahunt illud & determinant & definiunt, ut ex essentia generali in certum ens specificum contrahatur, fiatq; rationale & irrationale existens in singularitate. Proinde actus qui largitur essentiam non dat protinus existentiam, sed qui existentiam adfert, quia generaliorem determinat & quasi aliquid potentiæ habentem definit, potiorem naturam & essentiam impertiri dicitur, cujus merito specificam habet ab aliis differentiam, & operationes omnes simulq; nobiliores speciei peculiariter convenientes perficit. Rosa tempore hyemali hæret in principiis essentialibus, quibus per formam ultimatam actuatis consequitur essentiam & omnia quæ speciem rosæ propriè comitantur. In semine animantum principia ejus delitescunt, materiæ vicem sustinentia, ex cujus potentia exorta formâ quæ actu non inerat, prognascitur animal.*

THESIS XXIV.

*Semen non est pars corporis, nec ab eo decisum, sed utile excrementum tertiæ con-*

*coctionis in testibus genitum, uti lac in mammis: non enim mutilatur corpus cum profunditur semen, nec decedit ut pars integralis vel membrum. Est autem corpus similare, cujus partes omnes sint homogeneæ eandemq; definitionem & essentiam habent cum toto; estq; per suam formam id quod est, ita tamen constitutum, ut extra suum locum, ubi gignitur, videlicet testes, aut ubi ad generandum recipitur, statim pereat. Seipsum extra eundem nec conservare, nec ad actiones suas, nisi in materia eaq; legitimè disposita & temperata ac sana in actum excitari potest. Est itaq; corpus mistum inanimatum, perq; propriam formam, quæ sub sua materia divisibilis est, est id quod est. Unde Zabarella cap 7. libr.1. de mat pr. inquit. Hac ratione contrarietatem præ se ferunt, forma hominis & forma seminis, quanquam verè contrariæ non sint, quod, nempe, quatenus simul in eadem materia existere nequeunt, & una habet conjunctam privationem alterius & quando desinit incipit altera. Non eadem autem ratione est forma amica & inimica alteri formæ, sed inimica est secundum se quatenus sit forma, non potest simul cum alteri*

*for-*

*forma existere in materia, amica verò non secundum se, sed ratione qualitatum, quas habet conjunctas, hæ namq; materiam illam præparant ad formam hominis recipiendam, retinet enim semen qualitates quasdam illius animalis à quo defluxit, quæ faciunt ut materia non possit aliam recipere formam, quàm illius animalis. Actu proinde semen in testibus, uti & cætera excrementa utilia, & sanguis in venis, non vivit, potentia tamen proxima, virtute uteri in actum deducenda vitam adipiscitur, quemadmodum ovum non vivens convenienti caloris adminiculo & fotu, & vivificatur & in actum excitatur.*

## Responsiones Generales.

### *I. Adversarius agit actum.*

Ἔκθεσις.

Pergit de mistionibus & remistionibus, quas & novas formas & novas qualitates secum trahere, caloremq; elementi & igneum in animalem & vivificum mutari putat; seq; jamdudum arbitratum esse, ex variarum rerum mi- *Adversarii confusio.*

ſtione & remiſtione occultarum qualitatum rationem extruendam venire, quarum actiones ſint mirabiles propter indicibilem variarum qualitatum idioſyncraſiam, præcipuè ſi à formâ dirigantur, ſcribit. Verùm non quærimus, quàmdiu, ſed quàm benè, & quas ob rationes, Adverſarius hoc vel illud ſenſerit. Saltem rem eandem ſubindè repetit, aliter diſponit, ἀλλότρια immiſcet, & ad ea, quæ jamdudum ab *Excellentiſſ. Dn. Sennerto*, & in *Inſtitut.* & in *Conſ. & Diſſ.* contra illas indicibiles qualitates, & miſtiones ac remiſtiones, prolata fuere, nil reponit. Hoc ſanè eſt rem ſuam mirè & miſerè defendere.

## II. *Adverſarius ſibi contradicit.*

Ἔκθεσις.

*Adverſarii contradictio.*

Subſtantiales formas in miſto non aboleri, ſed ſub alienâ formâ materiæ vicem quandam ſubire refert, cum tamen in *Diſput. de Morb. Subſt. th.37.* acriter neget, formam in materiâ formâ præditâ eſſe poſſe, & accedente novâ formâ priorem perire exiſtimet, ſicut ad generationem pulli forma ovi perire ſolet. Unde ibidem re hinc inde pen-

pensitatâ ita concludit: *Dispositio materiæ, quæ facit ut forma accedat, & per quam immanet & operatur, non est alia forma, quæ nunc materiæ vicem, & eadem posteà substantialis formæ personam sustinere potest, quæq; primò & per se nihil & à nullo pati possit, & cui nihil contrarium sit, sed apparatus qualitatum & temperies commoda formæ idonea, quâ vi contrariorum labefacta formam perire, & incolumi manere, contingit. Huc pertinet regula philosophica: forma non habet formam, & illud Scalig. Exerc. 6. multò minus audiendus erit, qui dicet formas informari.* E quibus Adversarij verbis sic argumentari lubet: *Quicunq; formas in misto non aboleri, & tamen nil nisi apparatum qualitatum in misto esse, statuit, ille sibi contradicit. Adversarius formas in misto non aboleri, & tamen nil nisi apparatum qualitatum in misto esse, statuit. Ergò Adversarius sibi contradicit.*

## Responsiones Speciales.

*Ad Argum. I.*

I. An Adversarius saltem concludere velit, pro permanentiâ dispositionis & qualitatum, & non unà pro perma- *In plantis & animalibus non saltē qua-*

*litates, sed etiam formæ Mistorum permanent.*

manentiâ formarum, non patet. Puto tamen illum etiam formas non excludere, quia id postulat 1. *comparatio* in Majore facta, nempè, quemadmodum se habent Elementorum formæ & qualitates, ita etiam se habent mistorum formæ & dispositiones seu qualitates. Comparatio enim fieri debet inter qualitates & qualitates, ac inter formas & formas. 2. *arctißima propriorum & subjectorum conjunctio*, unde argumentari licet: *Ubicunq; sunt propria qualitates, ibi etiam sunt istarum formæ. In plantis & animalibus sunt propriæ mistorum qualitates. Ergò etiam in iis sunt mistorum formæ.* Major est Canon: Propria enim inseparabilia sunt à suis subjectis. Minor est Adversarij. II. Si jam Adversarius concludit etiam pro permanentiâ formarum, sibi, ut in *Respons. II. Gener.* notatum, contradicit. In Disputatione enim de *Morb. Subst.* materiis secundis nihil concedit præter qualitatum temperiem & apparatum, quia forma non informet formam. III. Nos argumentum totum concedimus. Idem enim dictitat Dn. Sennertus, qui sem-

*Contradictio Adversarii.*

*Adversarius pugnat cum larvis.*

ſemper ingeminat, non ſolas Elementares formas in plantis aliisq; quærendas, ſed & alias nobiliores conſiderandas eſſe. Hinc in *Inſtitut. Med. Libr. 5. part. 1. ſect. 1. cap. 2. p. m. 913.* ita ait: *Cum animæ ſeu formæ viventium ſint nobiliſſimæ, & formæ* σώματος φυσικοῦ ὀργανικοῦ: *& forma qualibet ſibi convenientem & idoneam requirat materiam ac diſpoſitionem, in quâ recipi, & per quam actiones ſuas exercere poſſit: ſolæ elementorum formæ eam tot viventibus præſtare non poſſunt: verùm materiam, quæ ſubjici formis animatorum, & corpus* ὀργανικὸν *conſtituere debet, adhuc nobiliori, & quæ pluribus qualitatibus inſtructa ſit, quàm elementorum ſunt, formâ exornari oportet. Quæ quidem reſpectu animæ, & quamdiu cum animâ eſt, rationem quaſi materiæ habet: verum animâ decedente remanet aliquandiu, & formæ officio fungi incipit, ac inprimis cauſa eſt facultatum & operationum, quæ in pluribus rebus ampliùs non viventibus deprehenduntur, neque tamen ex Elementorum qualitatibus vel formis provenire poſſunt.*

*Ad Argum. II.*

Concedimus argumentum, ſed illud conſequens negamus. Nempè, in miſto propter nobiliores formas etiam eſſe nobiliores qualitates, concedimus: ſed exinde non ſequitur, qualitates occultas ex illa miſtione & remiſtione oriri. Qualis enim foret Syllogiſmus? Talis: *Quicquid eſt in miſto, illud factum fuit ex miſtione. Qualitates occultæ ſunt in miſto. Ergò factæ fuerunt ex miſtione.* Major ſanè nulla eſt, quia eſſe potuit in miſcibilibus. Hinc ſi calor in igne non eſſet, per nullam ignis, aeris, aquæ & terræ, miſtionem & remiſtionem produci poſſet. Idem eſt ergò ac ſi ſic argumentarer: *Quicquid eſt in miſto, illud factum eſt ex miſtione. Qualitates Elementorum ſunt in miſto. Ergò factæ ſunt ex miſtione.*

*In miſtis quidē ſunt qualitates occultæ, ſed non ex miſtione factæ.*

*Ad Argum. III.*

I. Major nulla eſt. Pulchritudo ſpeculationum noſtrarum rem veram facere neſcit. Dependet veritas à rebus, non ab intellectu, ſæpiusq; ſuaviſſimas ſpeculationes mens hominum ſibi fingit & pingit, non magis tamen veras quam veri ſunt aurei montes. II. Minor

*Non protinus verum eſt, quod huic vel iſti pulchrum eſt.*

nor caret fundamento. Suum cuique pulchrum, hinc quod Adversario pulchrum est, aliis deforme putatur. Miscet enim Physica cum Metaphysicis & Logicis, falsa cum veris, & præconceptas opiniones cum orthodoxiâ. Quoad *primum*, quomodo Natura format singularia? Non sanè per adsumptionem universalium, sed ex singularibus & per singularia. Singularium enim tantùm est, nasci, interire, agere, pati: & nihil in Petro (imò in toto Mundo) est, quod singulare non sit. Vana ergò est speculatio, quâ fingitur naturam adsumere primò formas quasdam universales, dein particulares, (malè existentiales ab Adversario dictas) & ne specierum interitus fiat, has conservare in illis, & quæ sunt nugæ cæteræ. Non Natura hoc facit, sed mens tua, mi *Freitagi.* Hæc enim cum universalia in Mundo non existant, è singularibus ea abstrahit, adeò ut ab unico Petro speciem hominis, speciem animalis, speciem animati, speciem misti, speciem corporis &c. abstrahere non dubitet. Quoad *secundum* 1. Verum quidem est, ex materiâ fluere rationem generis, & ex formâ

*Confusio mater pulchri esse nequit.*

*Quomodo fiant singularia.*

*Præcisiva Abstractio*

*Ratio generis unde.*

mâ rationem differentiæ. Sed non tantùm. Nam etiam ibi habentur genera vera, & veræ differentiæ, ubi nulla est materia, nullaq; forma; in accidentibus nempè. Hinc non saltem Prædicamentum Substantiæ est ordo & dispositio generum & specierum, verum etiam Prædicamentum Quantitatis, Qualitatis, Relationis &c. 2. Existentiam Adversarius malè & intelligit & usurpat. Ratio Specifica ipsi est Existentia: sed Metaphysicis (ad quos terminus hic spectat) existentia pro rei extra suas causas positione sumitur, competitq; & materiæ & formæ, & quantitati & qualitati, & omnibus entibus singularibus. Imò, juxta saniores, existentia & essentia realiter non differunt, sed solâ ratione, quæ primò concipit essentiam ut possibilem, pòst addit actualitatem, & sic in unâ eâdemq; re *præcisivâ abstractione* modò essentiam, modò existentiam pensitat. 3. Exemplum de rosâ valdè est suspectum. Nam (1.) Rosa, quæ adhuc in suis causis est, rosa non est. Nam, *estnè effectus, an causa?* Omne enim ens vel est causa, vel effectus. Si effectus est, quomodo in

*Existentia quid.*

*Existentia & Essentia quomodo differant.*

*An Rosa, quæ in suis causis adhuc est, rosa sit.*

caus[i]

causis est? Effectus enim est extra suas causas, & nunquam ejus realitas in efficiente est. Si causa est, actu est: & si actu est, potentiâ non est: & si potentiâ non est, in causis non est. Realitatem potentiarum quidem in causis deprehendimus, sed entitatem ipsius entis potentialis in causis reperire non possumus, nisi quis dare velit creaturas in creatore, naturata in naturis, & artificia in artificibus. Uno verbo: Entia potentialia sunt non entia. (2.) Rosa planè non est species Mundi, sed saltem speciei alicujus vel flos, vel semen, vel effectus. Quâ de re cum egregiè disputet *Joh. Combachius Phys. lib. 4. cap. 5. in sec. Comment. p. m. 709.* verba ejus adscribere non piget, quamvis quoad ens potentiale in communi Metaphysicorum hæreat errore. Ita autem ille: *Quæritur, & est communis quæstio, quomodo rosæ definitio posßit esse perpetua, & quomodo de eâ posßit esse scientia, cum hyeme non existat, & quomodo non intereat species quædam, quando rosa interit? Hic multi Resp. quod ad veritatem definitionis non requiratur existentia rei, sed tantum essentia: Ideoq; si vel maximè rosa non existat: essen-*

*An causæ sint in causis.*

*An Rosa sit species Mundi.*

*essentiam tamen ejus esse perpetuam à quâ definitio petatur. Hic tametsi verum est, quod existentia definitionis mensura non sit, quod multa definiuntur quæ in esse suo definitionis perfectionem non habent, namq; definitiones Elementorum quidditatem singulorum puram complectuntur: ipsa tamen non existunt purè, quia quodlibet elementum aliorū commixtionem admittit. Quia in definitionibus rem unam præcisè ab alterâ distinguimus quomodo habet essentiam à quacunq; re aliâ distinctam. Secus verò in existentiâ sæpè est. Et in eum modum dicit Scaliger Exerc. 72 Etiamsi nullus homo sit justus, tamen justitia est habitus animæ distribuens secundum realem ratiocinationem ab humanitate, quæ est hominis essentia dimanans & pendens. Hoc tamen manet dubium, quomodo integra quædam species interire possit, sine totius universi interitu; consistit enim integritas & complementum universi in perfectione specierum, quarum unâ ablatâ, mundum de necessitate perire sapientes concluserunt. Quo sensu dixit Scalig. Exerc. 250. s. 5. Tanta est rerum series, tanta affinitas: ut si minimum aut re ipsa abfuerit, aut in causis non sit: mundus ipse desiverit esse mundus. Ideoq; dicendum*

*vide-*

*videtur, quod Rosa propriè speciem non faciat: ipsa enim non existit separatim à quacunque re alia, quæ specierum perfectarum est proprietas, ipsæ ut obtineant esse & ab aliis speciebus distinctum. At rosa semper existit in sua stipite. Sed ipsa obtinet rationem floris seu seminis, ordinata ad propagationem & conservationem speciei, ut ipsa species non sit. Secus verò in speciebus se habet: eædem enim non ordinantur in modum seminis, sed fovent semen ad sui esse propagationem. Tametsi igitur rosa non est hyeme: tamen in virtute stipitis, ceu causa continetur, quæ in eo semper elaborat, ut ne species intereat, quo propagandæ speciei desiderio vi naturæ semen molitur, ut ejus virtute conservetur. Ideoque rosas non inter plantas, sed inter plantarum flores numerabimus, & speciei effectum potiùs quàm speciem nominabimus.* Hactenus Combachius. Et tantum de secundo. Quoad *tertium*, res patet. Quia repetit suam præconceptam opinionem, de formarum eductione è potentiâ materiæ.

*Ad Argum. IV.*

Adversarius scopum non ferit. Verum est, semen non esse corporis partem *Semen an pars integrans corporis.*

tem integrantem aut membrum: verum est, semen non decidi à toto ut partem quandam: verum est, ad seminis emissionem non mutilari parentes sed verum etiam hoc est, de semine in parentibus adhuc contento nostram non esse controversiam. Si autem quærit Adversarius, unde ergò anima? Respondeo, accuratè loquendo, non *ex* semine, non *à* semine, non *ex* parentibus, nec *ex* animabus parentum: sed *à* parentibus & *ab* animabus parentum mediante semine ut medio à Deo & Natura ad hoc munus insigne ordinato. Quâ de re suprà sæpius.

*Ad Argum. V.*

Transeat quod regeri possit ad Majorem per Instantiam: *Quicquid formæ hominis contrarium est, illud actu non vivit, potentiâ tamen proximâ, virtute uteri in actum deducendâ vitam adipiscitur. Formæ brutorum formæ hominis contrariæ sunt: Ergò actu non vivunt &c.* Minor patet ex oppositione Rationalis & Irrationalis. Transeat etiam, quod aliud sit actu vivere, & aliud animam continere: hoc enim respicit animæ actum *Formalem*, illud

illud *Entitativum*. Minorem saltem considero, & quamnám contrarietatem Adversarius intelligat, quæro? Dubio procul illam Scholasticorum, quâ principia corporis naturalis contraria esse statuuntur. Verùm quàm multa hîc & falsa & inexplicabilia occurrant, temporis ratio non fert proferre, alia forsan erit hæc proponendi & exponendi occasio. Breviter tantùm *Foxij* & *Clariss. Dannhawveri* judicia adponã, applicationem subjungam, liberumq; Lectori judicium relinquam. Sebastianus Foxius de *Nat. Philos. Lib. 1. cap. 7. p. m. 39.* ita ait: *Nec obstat huic* (privationem non esse tertium principium Physicum) *sententiæ, quod principia rerum contraria esse dicantur, cùm in qualitatibus Elementorum id ita fiat, non in aliis rerum initiis, atque hæc sit ignota plerisq; hominibus præter Physicos hypothesis. Nam si omnia initia (seu principia) contraria esse deberent, vel causæ etiam, quæ initia sunt, sibi mutuò repugnarent, ut efficiens materiæ, aut forma fini, id quod fieri è diverso cernimus, cùm eædem potius mutuò se adjuvent. Itemq; si ars naturam imitatur, eaq; in efficiendo contrariis initiis non utitur, multò etiam*

*Principia corporis naturalis, an, & quo modo, contraria.*

*etiam minùs ipsa naturâ. Atqui nec opifex in exsculpendâ imagine quicquam contrarium habet, nec Grammaticus in docendo quenquam Grammaticam &c.* Et Clariss. Dn. M. Johan. Conrad. Dannhavverus in *Colleg. Psychol. Disput. 6. theor. 4. p.m. 193.* inquit: *Semen duplicem habet potentiam, vel ad actum primum, quatenus adhuc est intra vasa spermatica, sic est ille non homo ex quo homo generatur: vel ad actum secundum, id est, ad functiones vitales, quatenus jam prolificum & in utero conceptum est, sic est totum essentiale, id est, homo constans ex animâ & corpore: verum non integrale, quia desideratur adhuc partium organizatio.* Dico ergò 1. Semen non est contrarium animæ: & generationem fieri inter contraria, falsa est hypothesis. 2. Si tamen loquendum cum multis, sapiendum cum paucis; contrarietas ad semina in vasis spermaticis restringenda, non verò ad semina prolifica, hoc est, in uterum effusa, legitimè mista, retenta, & suscitata, extendenda est. Minor ergò de semine modo sæpiùs notato accepta fallit. Probatio petit principium, quia de hoc controvertitur, an ovum contineat animam, an verò ea

rò ea demùm adminiculo & fotu caloris inferatur & invehatur.

## PENTAS NONA.

*Argum. I.*

Quicquid non eſt corpus organicum, illud vitâ non potitur. Semen non eſt corpus organicum. Ergò ſemen vitâ non potitur. Major patet, quia vita eſt actus corporis organici.

*Argum. II.*

Quicunq; contra ſeminis rationem ſimilarem excipit, quod conſtet ex humore & ſpiritu, ceu partibus, illè malè excipit. Mercatus contra ſeminis rationem ſimilarem excipit, quod conſtet ex humore & ſpiritu, ceu partibus. Ergò Mercatus malè excipit. Major probatur, quia ſpiritus & humores ſunt materia, non partes organicæ, neque enim extra, neque in corpore, ſpiritus & humores conſtituunt partes organicas.

*Argum. III.*

Si vitale eſt ſemen, vivit vel ad ſui conſervationem, quæ fit nutritione, vel ut augeatur & creſcat, vel ut generet

ſibi ſimile. Atqui horum nullum i
tendit. Siquidem eſt in potentiâ
aliud, & propter aliud, videlicet ut
eo generetur animal. Non intend
ſui conſervationem, quia ut fiat an
mal, ſemper perire neceſſe eſt; neq
accretionem, quod ut ſemen illâ no
indigeat; neque generationem ſui
milis, quam tamen omne vivens med
tatur. Ergò vitâ & animâ ſemen c
ret.

*Argum. IV.*

Si anima eſt in ſemine, ſequitur
ſemine canis quod eſt actu canis, tot e
ſe canes actu, quot ibi ſunt guttulæ ſe
portiones, quæ ſeminis eſſentiam tue
tur. Sed poſterius non eſt. Ergò ne
prius. Conſequentia Majoris hæc e
quia anima ineſt tota toti & tota omn
bus totius particulis.

*Argum. V.*

Si anima eſt in ſemine, triplicis m
teriæ erit informativa: fuit enim prim
forma generantis, ſecundò eſt form
ſeminis, tertiò eſt forma animalis ex ſ
mine nati. Sed poſterius falſum e
Ergò & prius.

Adve

# Adversarij Verba.

## Thesis XXV.

*Verumenimverò animatum esse & vivere semen, cum & ex Scaligero & Themistio definit Clariss. Sennertus, animamq́ in eo ex eodem sibi fabricare corpus: qua ratione anima canis cum semine ejusdem propagata sui corporis domicilium construit. Vitâ autem non potiri semen ex eo liquido patet, quod sit actus corporis organici, hoc autem sit similare. Contra Mercatus excipit: semen constare ex spiritu & humore quæ sint partes ejus. Cui responsum velim, hæc esse materiam non partes organicas neque etiam extra, neque in corpore spiritus & humores constituunt partes organicas. Et si vitale est semen, vivit vel ad sui conservationem, quæ fit nutritione, vel ut augeatur & crescat, vel ut generet sibi simile. Atqui horum nullum intendit. Siquidem est in potentia ad aliud, & propter aliud, videlicet ut ex eo generetur animal. Non intendit sui conservationem, quia ut fiat animal, semen perire necesse est, neque accretionem, quod ut semen illa non indigeat, neq; generationem sui similis, quam tamen omne vivens meditatur.*

THESIS XXVI.

*Sed an anima fabricatrix est in femin uti volunt? femen est corpus fimilare, cu jus qualibet particula effentiam totius tu tur, & forma cum parte est divifibilis: Qu circa in femine canis quod est actu canis, ne ceffe est tot effe canes actu, quot guttulas v portiones, quæ feminis effentiam tuentur continet; est enim anima tota in qualib fui corporis parte, licet ab altera dividatur Neque enim reponi poteft, animam ex fem nis gutta vel tenui portione non poffe inte grum corpus fabricare, quod Clarifs. Sen nertus ipfemet afferat in lib. de Galen. cu Chymic. conf. & diff. eam effe formarum d gnitatem, ut in minimo corpore æque fua effentiam & potentias integras retinere po fint, ac in maximo: non enim infunt locat ve, fed tota toti omnibusq; rei particulis. E fi forma quercus in exiguo germine, quod plantâ pullulat, æquè integra eft, ut in annof poftea & procera, cur non eadem quoque i glande? neque prohibet molis feminea por tio exigua, quo minus fiat generatio, qui forma feminis corpus fabricans, æque est i parte minore quam magna, uti videre est i grano tritici, alia centum viciffim ex fe pro mente. Et cum formæ uti volunt funt mu*

*tipl*

*tiplicativæ ſui, quid vetat tot exſurgere ex animalis ſemine, quot actu inſunt vel ineſſe poſſunt? Verum hanc rationem mittimus, neque enim in illa aſſertionis noſtræ fundamentum eſt collocatum. Anima quæ eſt in ſemine, & ſibi fabricat corpus ejusq; eſt forma, ſiquidem illa quæ nunc eſt forma ſeminis, poſteà futura eſt animalis, ut ait Scalig. exerc. VI. no. 7. eſtq; pars genitoris, triplicis materiæ erit informativa: (cujus rei ineptiam ſupra vidimus) fuit enim primò forma generantis, ſecundò eſt forma ſeminis, tertiò eſt forma animalis ex ſemine nati, quod ſi verum eſt rerum individua ſunt perpetua, & res non per ſpecies, ſed per exiſtentias ſuam habent perpetuitatem (omne enim quod exiſtit, eo ipſo quo exiſtit, ſingulare eſt) ſiquidem per actum exiſtentialem, & formam ultimatam propagantur, quæ cum corruptibilis ſit, neceſſum eſt rerum ſpecies, vel jamdudum defeciſſe, vel naturaliter deficere poſſe, quam abſurditatem ſana philoſophia non tolerat.*

# Responsio Generalis.

## *Vilis & exilis seminis substantia, ne moveat Adversarium, ut illi animam neget & perneget.*

Ἔκθεσις.

*Quodnā sit semen illud, cui anima inesse statuitur.*

Præmonendum ad nauseam usque est, quale hîc intelligatur semen. Nam 1. Dantur semina indisposita & infæcunda, quibus nulla cum formâ est societas. Ut enim non per quamvis corporis partem (paucissimis exceptis) formarum fit propagatio: ita etiam non per quamvis certæ & ad id ordinatæ rei dispositionem eadem quit peragi. Hinc inter alias generationis læsæ causas, & ratione viri, & ratione fœminæ, etiam seminis numeratur vitium. 2. Dantur semina causarum sociarum. Ubi itidem nec maris nec fœminæ semen divisim, sed utriusque conjunctim sumptum, in loco naturali rectè disposito mistum, retentum, & suscitatum, pro prolifico & fœcundo habemus. Stant enim causæ sociæ pro causâ unâ. De hoc semine jam dicimus, quod ani-

mam

mam actu in sese habeat, si non ob plures, vel ob unicam hanc rationem, quia in eo animæ operationes apparent. Hinc talis est Syllogismus: *Ubi dantur animarum operationes, ibi dantur animæ actu. In seminibus dantur animarum operationes. Ergò in seminibus dantur animæ actu.* Major apud omnes sat rata est, nemoque eruditorum negat, quod positis operationibus ponantur facultates, & positis facultatibus ponantur formæ. Unde & Scholastici tria illa Naturæ proferunt momenta: 1. *Essentiam.* 2. *Facultates.* 3. *Operationes;* ubi à tertio ad secundum, & à secundo ad primum legitima semper fit illatio. Minorem suppeditat Experientia. Nam in semine humano, (ut nihil hac vice dicam de seminibus plantarum, in quibus etiam res manifestissima est) in uterum tanquam feracissimum agrum effuso, debitè misto & retento, statim fiunt ordinationes, secretiones, concretiones, densationes, rarefactiones, contractiones, & alia ejusmodi, adeò ut & olim ab Hippocrate dictum fuerit, genituram septimo die habere, quæcunque corpus habere potest.

Ubi in rei veritate alia architectrix dari nequit, quàm divina & nobilissima anima hominis, uti id satis probat *Excellentiss. Dn. Sennertus in Consf. & Diff. cap. 9.* Et licet semen videatur corpus ignobile, abjectum, exiguum & sordidum: tamen id argumentum nostrum non solvit, sed nova sapientiæ, potentiæ, & clementiæ divinæ argumenta ministrat. De quâ mirandâ seminis naturâ egregiè *Franc. Titelmannus in Phil. Natur. Libr. 8. cap. 11.* philosophatur, & non sine ratione in margine initij Capitis ad attentionem Lectorem, *Adverte*, inquiens, *huc animum spectator rerum novarum*, sedulò hortatur. Quæ cum suprà uberiùs prolata fuerint, actum agere nolo, sed saltem ea quibus *Titelmannus* Caput citatum laudatissimum finire gaudet, ob rei mirandam amœnitatem, ad ponere nõ dubito. Sic ergò ille: *Non ita multum videtur admirandum, si totam hanc connexionem dispositionem membrorum, quam in nobis ipsis conspicimus, per semetipsum ita suâ omnipotenti virtute Deum asseramus condidisse: si quomodo in principio Adam creavit de terrâ, & de ejus costa Evam absq; ullius virtute seminis, terram solam*

*Abjectissima seminis substãtia, admiratione plenissima est.*

*pr*

*pro materiâ accipiens, & totam virtutem per sese administrans: ita & nostra corpora in suâ dispositione atque pulcherrimâ proportione per se idem ipse similiter fabricaret. Item, si ut in principio arbores & herbas creavit, absq; virtute seminis, ita & nunc potentissimâ suâ jussione, eas de terrâ faceret prodire.* *Scimus etiam, quoniam non est ei impossibile, neque difficile omne verbum. Non novum est nobis, si magna faciat ille, de quo scriptum est, Qui facit mirabilia magna solus.* Psal. 71. *Verùm quod hæc humani corporis dispositio, ex operatione est virtutis, quæ latet in paterno semine (fætidissimâ & vix nominandâ substantiâ, quam absq; abominatione nemo conspicit) quodq; in eo tàm præclara lateat virtus, corpus tàm admirabile sic efficiendi atque fabricandi, quod tota illius admirabilis dispositionis efficacia in illo realiter inexistat, id nobis meritò in immensum aggravat pondus considerationis nostræ, id prorsus stupidos & attonitos reddit, cogitq; exclamare nos, & voce apertâ confiteri, quòd non solùm ipse magnus sit in semetipso, neque solum magnus in magnis, sed & in abjectissimis, contemptibilissimisq;, & minimis gloriosus.* Hæc Titelmannus; quibus absimilia non sunt, quæ *Clariss. Dn.*

 *Sen-*

*Sennertus* in *Conf. & Diff. Cap. 9.* his verbis ait: *Neque quem exiguum illud seminis corpus offendat, sed potius Creatoris sapientiam, potentiam, bonitatem, qui cum exiguo corpore formas ad specierũ conservationem, ad finẽ mundi usq; transferri & multiplicari in primâ creatione & voluit & jussit, hîc attentius admiremur: formarumq; præterea nobilitatem æstimemus, quæ in minimo corpore æquè suam essentiam & potentias integras retinere possunt, ac in maximo.*

## Responsiones Speciales.

*Ad Argum. I.*

*Quid censendum de Definitione Animæ ab Aristotele prolatâ.*

I. Major est nulla. Idem est ac si sic argumentarer: *Quicquid non est corpus organicum, illud animâ & vitâ non potitur. Ossa, cartilagines, nervi, venæ, arteriæ, caro &c. non sunt corpora organica. Ergò animâ & vitâ non potiuntur.* Quamvis ergò *Aristoteles Libr. 2. de Anim. cap. 1. t. 6.* animam actum corporis naturalis organici vitam habentis potentiâ definiat, dum inquit: ψυχή ἐστιν ἐντελέχεια ἡ πρώτη σώματος φυσικοῦ ζωὴν ἔχοντος δυνάμει. τοιοῦτον δὲ, ὃ ἂν ᾖ ὀργανικόν. Hoc est, *anima est actus primus corporis naturalis*

*poten-*

*potentiâ vitam habentis, tale autem sit organicum:* tamen 1. considerat ibi Aristoteles animam in *actu formali, simpliciter ita dicto,* spectatam. Cum enim descriptionem animæ formare voluit, non ad animata constituenda, formanda, & elaboranda, sed ad constituta, formata, & elaborata, (in Definitionibus enim perfectiones attendimus) respexit, quæ cum organica sint, mirum non est animam actum corporis organici eum definivisse. Quo ipso verò non negatur, etiam ibi animam esse ubi organizatio nulla est, imò eam organis propter partes similares inesse, quia similarium cōjunctio facit organum. Hinc pes etiamsi frangatur, aut planè mollescat & flexilis fiat, animâ tamen informari nō cessat. Ut ergò confundi non debet actus *Formalis* cum *Entitativo*, & actus formalis *simpliciter dictus*, cum actu formali *secundum quid* dicto: ita quoque subjectum animæ, in actu Entitativo aut formali secundum quid spectatæ, confundendum non est cum subjecto ejus in actu formali simpliciter sumpto consideratæ. 2. Posito, non concesso, Aristotelem putasse, animam non nisi

*Anima inest organis ob partes similares.*

*Aristoteles non est norma Controversiarum Physicarum.* nisi in corpore organico esse posse, tamen non protinus & nos hoc putare debemus, cum contrarium ipsam loqui naturam deprehendamus. Malumus cum naturâ confiteri veritatem, quàm cum Aristotele profiteri falsitatem. II. Minor etiam non adeò constat. *Organum quot modis dicatur.* Organum enim dicitur dupliciter: 1. *strictius*, 2. *latiùs*. Strictius sumptum definitur, *pars animalis perfectam actionem edere potens*. Quo sensu quatuor in organo observantur partium genera: 1. earum, à quibus primariò editur actio. 2. earum, sine quibus actio non fit. 3. earum, per quas actio meliùs editur. 4. earum, quæ actionem conservant. Latiùs dictum organum etiam iis tribuitur, quæ tantum partium & perfectionum apparatum non habent; imò similaribus quoque particulis, ut venis, arteriis, nervis, & cæteris, adscribitur. Hoc ergò sensu quidam etiam Minorem negare non dubitant. *Semen humanum è pluribus conflatum est.* Benè enim notandum, in semine plura contineri quàm forsan judicaret unus & alter. Siquidem è solo semine, citra ullius sanguinis accursum, viscera interna, vasa, membranæ, ossa, crura, pedes,

pedes, brachia, nares, auriculæ, digiti, oculi, penis, ſcrotum &c. ſtamina & conſiſtentiam ſuam habent. Hinc ſanè uniusmodi & planè ſimilare quid eſſe haud poterit. Imò, morbi hæreditarij ſemen nō ſaltem tribus aut quatuor conſtare ſubſtantiis ſatis oſtendunt: unde enim aliàs ille morborum hæreditariorum numerus innumerus? Unde podagrici generarent podagricos, epileptici epilepticos, ſurdi ſurdos, muti mutos, calculoſi calculoſos, lienoſi lienoſos, & alij alios?

*Ad Argum. II.*

*An rectè Adverſarius refutaverit Mercatū.*

Quamvis *Mercati* reſponſionem defendere, noſtri non adeò faciamus laboris: tamen falſam eſſe Majorem putamus. Quoad probationem dicimus 1. Licet ſpiritus & humores nō ſint partes organicæ, non tamen exinde ſequitur, eos conjunctos partem diſſimilarem facere non poſſe. Aliàs ita argumentaremur: *Quæcunq; partes non ſunt organicæ, illæ facere non poſſunt partes diſſimilares & organicas. Organorum primi ordinis partes non ſunt organicæ. Ergò facere non poſſunt partes diſſimilares & organi-*

*ganicas.* Minor patet, quia primum organum necessariò è non organis partibusque inorganicis componitur, aliàs non esset organum primum, sed haberet aliud prius, de quo idem diceretur, atque sic in infinitum procederetur. Ordines organorum *Galenus* recenset quatuor, ita ut sint organa 1. simplicissima, quæ ex solis similaribus constant. 2. è primis coagmentata. 3. è secundis coagmentata. 4. è tertiis coagmentata: ubi satis videmus primi ordinis organa è partibus, quæ organicæ nō sunt, conflari. Nec quicquam valet, quod ait Adversarius, spiritus & humores esse materiam: nam etiam organa ordinis primi sunt materia organorum ordinis secundi, & organa ordinis secundi sunt materia organorum ordinis tertii, & organa ordinis tertii sunt materia organorum ordinis quarti, & omnia organa totius corporis quocunque veniant nomine & honore materiæ rationem habent, si ad formam totius referantur.

*Organorum ordines.*

*Except. Respons.*

2. Non quæritur, an spiritus & humores absolutè quandam corporis partem faciant organicam: sed, annon illi spiritus & humores, tanquam substantiæ in se-

*Quo sensu spiritus & humores Mercato faci-*

in ſeminis corpore contentæ, ſemen quodammodò faciant diſſimilare? Si venæ & arteriæ rectè partes ad rem diſſimilares, licet ad ſenſum ſimilares, ſtatuuntur, quia fibris & carne propriâ conſtant, cur non multò magis diſſimilare erit ſemen? *ant ſemen organicũ, & diſſimilare.*

*Ad Argum. III.*

Tranſeat falſa hypotheſis de ſeminis potentiâ. Adverſarius argumentatur ab animatorum, quæ ſpecies Mundi conſtituunt, affectionibus, ad naturam ſeminis; quod ſanè eſt miſcere terram cœlo & cœlum undis. Scilicet, argumentari à ratione ſpecierum mundi, ad rationem mediorum propagandi, eſt ſpecies cum mediis, perfectum cum perficiendo, & actum formalem ſecundum quid dictum cum actu formali ſimpliciter ſumpto confundere. Nulla ergò eſt Major. Siquidem nutritio, augmentatio, & procreatio, ad ſpecies Mundi ſpectant, unde quærere, an ſemen nutriatur, an augeatur, & an generet ſibi ſimile, vanum & ridiculum eſt. *Quæ animatorum ſpeciebus competũt, ad ſemina trahenda non ſunt.*

*Ad Arg.*

*Ad Argum. IV.*

Transeat, quod aliud sit, de canis semine prolifico, seu conjunctim sumpto, in utero misto & retento loqui, & aliud de eo solitariè spectato, differere.

*An in semine canis, tot animæ, quot portiones.*

I. Major miserrima est. Non sanè in semine canis tot animæ, quot portiones, sunt: sed una anima omnes portiones regit & dirigit. Sicut & in osse hominis viventis, non tot animæ, quot particulæ sunt, sed una anima totum os, quin imò totum corpus, actuat & informat. Probatio Consequentiæ Majoris animam canis turpiter facit spiritum. Ita enim argumentor: *Quæcunq; anima est tota in qualibet totius particulâ, ea est spiritus. Anima canis est tota in qualibet totius particulâ. Ergò anima canis est spiritus.* Major in confesso est.

*Adversarius animam canis facit spiritum.*

*An semen canis, sit canis.*

*Quid Scaliger.*

II. An semen canis canem appellare liceat, non adeò curiosi sumus. Scaliger illum loquendi modum adhibere voluit, ob formæ tanquam nobilissimæ canis partis præsentiam. Cautè tamen id fecit, additâ *Diminutione*, dum semen appellavit *canem imperfectum.* Jam stat Regula Summulistarum: *A diminuto ad absolutum non licet argumentari.* Ratio est, quia

quia aliàs oritur Fallacia à dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Non ergò Adversarius illud diminuens omittere debet, aliàs Sophistam agit, & termini *suppositionem diminutam* cum *suppositione absolutâ & integrâ* confundit. Absolutè verò loquendo, si quæreretur, an semen canis sit canis, an semen equi sit equus, & an semen hominis sit homo; mallem nomen canis non nisi perfecto cani, nomen equi non nisi perfecto equo, & nomen hominis non nisi perfecto homini imponere. Hinc accuratè *Hippocrates* & *Galenus* conformationis tempora respectu hominis, 1. in γονῇ. 2. in κύημα. 3. in ἔμφρυον. 4. in παιδίον, distinguunt: ubi hominis absolutè sumpti titulo, non γονῇ, non κύημα, non ἔμφρυον, sed παιδίον ornandum censerem. Sed, ut dixi, adeò curiosi non sumus, nec ob vocabula ulli dicam scribimus. De Scaligerianâ appellatione *Excellentiss. D. Sennertus cap. 9.* in *Conf. & Diss.* ait: *Si cui ita loqui non placet quia membrorum articulatio nondum adsit, me non offendet.*

*Homo quid & quis dicendus.*

*Ad Argum. V.*

Major iterum nulla est. Nam (1.) hæc

 nume-

*An anima triplicis materiæ informativa.*

numero anima in generante nunquam fuit, (2.) nec etiam seminis forma fuit, quippè in quo actum formalem simpliciter sic dictum non habuit: sed (3.) saltem animalis è semine nati forma est. Hinc ita argumentor: *Quicquid officium formæ non nisi in animali è semine nato & formato exercet, id triplicis materiæ informativum non est. Anima animalis officium formæ non nisi in animali è semine nato & formato exercet. Ergò triplicis materiæ informativa non est.* Reliqua quæ Adversarius subindè inspergit, sunt partim calumniæ, partim mera sine pondere verba.

## PENTAS DECIMA.

### *Argum. I.*

Nulla forma existentialis potest esse diversæ materiæ. Anima est forma existentialis. Ergò anima non potest esse diversæ materiæ. Majoris consequentia est, quia certum quælibet forma requirit apparatum in materiâ, alioquin quæcunq; quamcunque informaret, è quolibet quodlibet fieret, & juxta Pythagoram anima de corpore in corpus migraret.

*Argum.*

*Argum. II.*

Nulla forma perit, nisi ex materiæ deficiente apparatu, cum quo consistit, servatur, & perit. Anima est forma, & quidem corporis organici. Ergò non perit nisi ex materiæ deficiente apparatu, neque etiam consistit & servatur in subjecto simplici & unicâ temperie disposito, quale semen est.

*Argum. III.*

Si nullus propagationis modus competit animæ in semine spectatæ, sequitur eam in semine non esse. Sed nullus propagationis modus competit animæ in semine spectatæ. Ergò ea in semine non est. Minor probatur, quia tres cum magno Scaligero modos proponit Clariss. Sennertus. Primus est, cum se promovet anima tali ratione, quali in accretione sese induit in novam materiam; secundus, quo pacto surculi aut rami ab arbore avulsi, terræque insiti novam ejusdem à quâ detracti sunt speciei arborem producunt; tertius, qualiter à lampadis flãmâ flammam excipimus, illâ nihilo secius integrâ manente. Primus & secundus modus non procedunt, quia ibi anima

ſeſe extra ſuum corpus ejusq; partes nō protendit, nec fertur, & ramus avulſus fuit pars arboris, ac in carnem itidem anima promovetur quia caro fit pars corporis. Tertius modus ſimiliter non procedit, quia flammá in aliud corpus ſe nòn dividit, nec ſemper ab alia flamma generatur, ſed ex ſubjecto habili, diſpoſito, & proximam potentiam habente, ut celeriter in flammam aut ignē vertatur.

*Argum. IV.*

Si admirabiles illæ in ſemine potentiæ à forma admirandis virtutibus & vi plaſticâ ſemen inſtruente, quemadmodum anima vi vitali imbuit calorem, & ab uteri fomento, ſuperiorum cœleſtiumq; concurſu, proveniunt, cadit egregium ſententiæ de formarum traductione fundamentum. Sed proveniunt inde admirabiles illæ potentiæ. Ergò.

*Argum. V.*

Si inutilis materia corporis calorē animantis in vermem mutatur, etiam, & multò magis quidem, ſemen in utero à calore proprio, coq; qui proportione

tione elemento ſtellarum reſpondet, vivifico calore matris affluente, fovente, dirigente, actuatur, atque ex ejus potentiâ forma educitur. Sed prius eſt. Ergò & poſterius. Conſequentia Majoris manifeſtior fiet, ponderanti ſemẽ primò unum fieri cum matrice, pòſt cum corpore matris, cui ut pars inſtar brachij pedisvé adhæret, cujusq; vivifico calore fovetur, à quo & vis plaſtica à generante indita excitatur.

## Adverſarij Verba.

### Thesis XXVII.

*Deinde forma exiſtentialis, una eademq; non poteſt eſſe diverſæ materiæ, certum enim qualibet forma requirit apparatum in materia, alioquin quæcunq; quamcunq; informare, & ſic ex quolibet fieri quidlibet, & juxta Pythagoram anima de corpore in corpus migrare valeat. Præterea non perit forma, niſi ex materiæ deficiente apparatu, cumquo conſiſtit ſervatur, & perit. Corporis proinde organici forma varia ſpecialiq; propter partium diverſitatem, & non ſimplici neque unicâ temperie diſpoſitum poſtulat ſubjectum. Anima eſt actus corpo-*

*ris organici, & vita est actus animæ, semen nec organicum corpus nec vitale est.*

### THESIS XXVIII.

*Sed si in semine anima, quomodo sodes propagatur? Tres cum magno Scalig. modos proponit Clariss. Sennertus. Primus est cum se promovet anima tali ratione, quali in accretione sese induit in novam materiam, vel quo pacto surculi aut rami ab arbore avulsi, terraq; insiti, novam ejusdem à quo detracti sunt speciei arborem producunt, vel qualiter à lampadis flamma flammam excipimus, illa nihilo secius integra manente.*

### THESIS XXIX.

*Verùm ad primum & secundum modum propagatio formarum per semina procedere non potest, siquidem in illis anima sese extra suum corpus ejusq; partes non protendit nec fertur. Cum ramo avulso forma transit, quia fuit pars arboris, in carnem promovetur anima, quia caro fit pars corporis. Atqui semen animalis nec est, nec fuit, nec erit pars corporis à quo gignitur, sed utile excrementum; Lac, semen, sanguis, nec animata, nec corporis sunt partes.*

## THESIS XXX.

*Tertius modus similiter non procedit. Flamma in aliud corpus se non dividit, nec semper ab alia flammâ generatur, sed ex subjecto habili, disposito, & proximam potentiam habente, ut celeriter in flammam aut ignem vertatur. Nec enim flammâ accedente in sulphur eadem propagatur, sed sulphur in ignem vertitur, veluti & pulvis pyrius, ob materiam igni proximam facilimè ignescit. Unde igitur, inquiunt, admirabiles illæ in semine potentiæ? A formâ, inquam, admirandis virtutibus & vi plasticâ instruente, quemadmodum calor nativus vi vitali ab animâ imbuitur, & ab uteri fomento, superiorum cœlestiumq́ concursu siquidem sol & homo hominem generant.*

*Semen primò fit unum cum matrice, & consequēter cum corpore matris ipsi ut pars instar brachij pedisvè adhærens, ejusq́ vivifico, ab arteriarum & venarum influxu calore fovetur, vis plastica à generante indita excitatur. Calore animantis in corpore animatur inutilis materia in Vermem, quanto magis in utero loco generationi destinato à calore proprio, eoq́ qui proportione elemento stellarum respondet, affluente matris vi-*

*vifico, fovente, dirigente, actuatur semen, atque ejus ex potentiâ educitur forma.*

## Responsio Generalis.

*- Citharædus*
*Ridetur, chordâ qui semper oberrat eâdem.*

Ἔκθεσις.

Nugatoriè Adversarius iterum refert, unam eandemq; formam existentialẽ non posse esse diversæ materiæ, omnem formam requirere certum materiæ apparatum, animam esse actum corporis organici, & quæ sunt farinæ hujus plura. Sed forsan semel ista methodicè proposuisse & perspicuè exposuisse, satius fuisset: verùm trahit sua quemque voluptas, & quot capita, tot sensus.

## Responsiones Speciales.

*Ad Argum. I.*

Transeant, quæ ad formam existentialem reponi possent. Vid. *Tract. de Morb. Tot. Subst. Antith. Quæst. 3. ad Exc. Resp. 5.* Transeant etiam, quæ de Pythagoréa

goréa metempsychosi dicenda venirent, de quâ itidem dictum loco citato *Resp. 1. Seq. 2.* Formam existentialem ad mentem Adversarij sumptam, semini non concedimus. Semen enim species mundi non est, unde etiam ejusmodi formâ specificâ non indiget. Est ergò anima, ut ad Minorem respondeam, non semper forma existentialis seu specifica ubicunq; est. In semine 1. actu *entitativo*, seu ratione suæ substantiæ. 2. actu *formali secundum quid* dicto, seu ratione partialis exercitij sui officij: in animali verò est actu *formali simpliciter* sic dicto, seu ratione totalis & plenarij usus & exercitij sui officij, atque tunc rationem formæ Specificæ, & ut Adversarius loquitur Existentialis, habet. Unde cum in genere quæritur, quodnam sit subjectum informationis animæ; respondetur, corpus organicum. Res enim judicantur in statu perfectionis, non imperfectionis. Si objicit Adversarius, ergò anima non est in semine, quia forma existentialis seu specifica non habet diversa subjecta: respondemus, animam in semine non habere rationem formæ Existentialis seu

*An semen habeat formam specificã.*

*Quando anima sit forma Specifica, & quando non.*

Specificæ. Si regerit, eſt & manet tamen anima in diversâ materiâ: reſpondemus, utiq; eſt manetq;, quia vinculum animæ & materiæ utrobiq; datur. Nempè quod vinculum eſt conjunctionis animæ & corporis organici, etiam vinculum eſt conjunctionis animæ & ſeminis, videlicet Calidum Innatum. Uno verbo: *confundendi non ſunt diverſiſſimi formæ actus.*

*Ad Argum. II.*

Tranſeat, quod Adverſarius ab animæ præſentiâ argumentetur ad vitam, hoc medio termino, quia *vita eſt actus animæ.* Rectiùs Ariſtotelici definiunt vitam *actum corporis.* Sed forſan Adverſario anima & corpus ſunt idem. Verùm tranſeat. Quoad argumentum 1. quomodo anima actus corporis organici ſit, dictum fuit. 2. an ſemen ſubjectum ſimplex ſit, etiam notatum fuit. 3. temperiem ſeminis *ſimplicem* eſſe, vix per ſomnium alicui in mentem veniret. Argumentor: *In quocunq; duæ qualitates ſuperant ſuas contrarias, ibi eſt temperies compoſita, non ſimplex. In ſemine duæ qualitates ſuperant ſuas contrarias. Ergò in*

*An ſemen gaudeat temperie ſimplici.*

*gò in semine est temperies composita, non simplex.* Major est è temperiei *simplicis* & *compositæ* Descriptionibus ab omnibus receptis. Minor probatur, quia caliditas & humiditas superant frigiditatem & siccitatem. 4. anima subjecta sua informare cessat, non tàm ob defectum organorum, quàm ob extinctionem calidi innati & ob prohibitionē calidi influentis. Hinc anima famē mortui non sanè ob defectum organorum recedit: quis enim negaret omnia ibi adesse organa? Sed calidum innatum difcessum illum causavit, non positivè, sed privativè. Imò si ob organorum defectum anima recederet, soli morbi organici forent lethales. Falsa ergò est præmissarum utraque. Major, quia Adversarius per apparatum materiæ intelligit organa, quæ ad animæ præsentiam nihil faciunt. Minor, quia actum formalem simpliciter dictum, ab actu entitativo, & formali secundum quid dicto, non distinguit.

*An omnes moriantur ob defectum organorum.*

*Ad Argum. III.*

Minor negatur. Utiq; qualiter à lampadis flammâ flammam excipimus, salvâ & integrâ manente flammâ lapadis, tali-

*Animarū propagatio declaratur simili de flammâ.*

taliter etiam ab animâ parentum anima filij propagatur. Nec obſtat Adverſarij exceptio. Nam 1. ut flamma non dividitur, ſed tota manens in lampade ſe multiplicat: ita & anima parentum nõ dividitur, ſed tota in parentibus, tota etiam in liberis eſt; & ut flamma producta in alio eſt corpore, quàm ea à quâ producta eſt: ita etiam anima liberorum in alio eſt corpore, quàm anima parentum. 2. flamma verò an ſemper ab aliâ flammâ generetur, ſicut anima ſemper ab aliâ animâ oritur, fruſtraneum eſt hoc loco inquirere. Nam ratio ſimilis in hoc non conſiſtit. Quorſum ergò opus eſt, vagari extra oleas? Similia claudicare novit Adverſarius, cùm ergò ſaltem ſimilis loco hæc de flammâ adferre voluerit Scaliger, è ſimili ne faciamus idem. 3. Flammam ex potentiâ deducere, eſt principium petere. Hæc enim noſtra jam eſt Controverſia, an nempè formarum origo, Scholaſticam illam agnoſcat potentiam, an verò altius quid ſapiat. Si tamen reddenda ratio, unde forma ignis feratur in flammam, dicimus, interdum ab igne ſeſe in idoneâ materiâ multipli-
can-

cante; interdum verò planè latitavit, & motu, attritu, aliisq; modis proleɖa prosiliit; & qui sunt modi cæteri ad institutum præsens non spectantes: nunquam verò forma illa ignis è cœcâ illâ potentiâ provenit.

*Ad Argum. IV.*

Transeat quod Adversarius ita loquatur, ut fermè intelligi nequeat. Major falsissima est. Nam I. à quanám formâ operationes & admirandæ illæ potentiæ veniunt? An à formâ generantis, an à forma seminis, an forsan planè à formâ matris? (1.) Si à formâ generantis proveniunt, anima Patris in Italiam profecti operabitur in utero gravidæ matris in Germaniâ degentis; & anima plantæ in Indiâ forsan jamdudum combustæ aut devoratæ mirabiles operationes in semine pullulante in Germaniâ exercebit. Sin excipit Adversarius qualitates semini in generatione fuisse cõmunicatas, & illis mediantibus operationes istas peragi, quæritur, cujusnám substantiæ virtute illa accidentia agant? Agunt enim accidentia virtute substantiarum. Quæritur etiam, an illa accidentia

*An operationes in seminibus conspicuæ, à formâ generantis proveniant.*

*Except.*

*Respons.*

den-

dentia sine subjecto proprio communicata fuerint, an secus? Et, annón tutius nobilissimæ istæ potentiæ, in ipsâ animâ præsente & per eas operante hæreant? Non repetam quæ de vi plasticâ dicta fuêre suprà, ne actum agam, sed saltem è doctrinâ Aristotelicâ de Animâ quid addam. Dividuntur Animæ Vegetativæ potentiæ in Principes seu Primarias & Ministras seu Secundarias. Principes sunt, Altrix, Auctrix, & Procreatrix. Ministræ sunt Attractrix, Retentrix, Concoctrix, Expultrix, Alteratrix, & Formatrix. Ultima hæc potentia Formatrix & illa vis plastica quomodo quæso differunt? Forsan, ut ἄρτος & panis. Hinc argumentor: *Cuicunq; inest aliqua potentiarum animæ, illi etiam inest anima. Semini inest aliqua potentiarum animæ. Ergò semini inest anima.* (2.) Si verò à seminis formâ dictæ operationes proveniunt, illa præter animam alia esse non poterit. Duplices enim sunt illæ operationes: 1. seminis & conceptus vivificatio. 2. partium omnium quæ ad vitæ actiones necessariæ sunt efformatio. Quoad priores sic argumentor: *A quacunq; formâ venit seminis & conceptus*

*A vi plastica ad animam argumentari licet.*

*An operationes in seminibus conspicuæ, à formâ seminis proveniãt.*

*ptus*

*ptus vivificatio, illa est anima. A seminis formâ venit seminis & conceptus vivificatio. Ergò seminis forma est anima.* Major probatur, quia vivificare opus animæ est, adeò ut non possit ulla alicubi monstrari vivificatio sine reali animæ præsentia, & ubi vita, ibi anima, etiam ad mentem Adversarij. Quoad posteriores stat Syllogismus sequens: *Ubicunq; sunt eadem effecta, ibi etiam est idem agendi principium. In semine & animato sunt eadem effecta. Ergò etiam ibi est idem agendi principium.* Major patet, quia effectus testatur de causâ, certusq; insequitur certam, idem eandē, & diversus diversam. Quoad Minorem egregiè ait *Experientiss. Dn. Sennertus* in *Consens. & Diss. Cap. 9. Eadem operationes in semine & in plantâ omnibus numeris integrâ conspiciuntur: quæ propterea idem in utroq; principium & movens indicant. Eadem enim est omninò operatio, cum anima in semine latens ex attractâ materiâ corpus plantæ fabricat: & cum eadem postea singulis annis amissa folia & flores instaurat, novos surculos, ramos, radices, protrudit, & propterea ejusdem omninò facultatis, ejusdemq; animæ indicium est.*

*Neq; hoc solùm fit in plantis, sed & in animantium perfectorum seminibus idem fieri concedendum est. Nam si non fit ex sanguine caro, nisi caro ipsa animata sanguinẽ in carnem mutet: multò minus fiet ex sanguine animal, si semen animâ careat; neq; attrahere posset semẽ sanguinem maternum, nisi esset animatum.* (3.) Sin autem operationes istæ à formâ matris exercentur, non video an negotium hoc magis implicetur, an explicetur. Cedro digna sunt, quæ hac de re habet *Excellentiss Dn. Sennertus* loco citato, dum inquit: *Neque tandem ij ex hisce difficultatibus sese extricare possunt, qui & formandi partes officium animæ maternæ tribuunt, & ab animâ maternâ animam deducunt. Nam si hæc opinio vera esset, cur fœminæ non absq; viris conciperent? cur ova subventanea, quæ à fœminis absq; mare concipiuntur, fœtui producendo sunt inepta? & quid omninò de oviparis dicemus, quæ vivum integrum fœtum non pariunt? quid etiam de plantis, quæ utero non concipiunt, sed maris solùm munere funguntur, & semen maturum in terræ gremium conjiciunt, à qua tanquam intra uterum fovetur, ut inde suo tempore planta integra edatur. Unde enim in his anima?*

*An operationes in seminibus conspicuæ, à formâ matris proveniant.*

*Quis*

*Quis hic admirandarum operationum autor? Quis omnibus partibus numerum, ordinem, situm, figuram, qualitatem, & similia tribuit, nisi illa ipsa anima quæ in plantâ posteà omnibus partibus integra, si quid avulsum est, illud instaurat & reparat, & singulis annis, cum novos ramos producit, & flores & folia reparat, formationis opus quasi de novo aggreditur; eodem planè modo, quo cum primùm in parvo seminis corpore lateret, ex attractâ materiâ plantæ architecturam incboaret.* Ad quæ forsan respexit *Clariss. Dn. Dannhawerus*, qui in *Colleg. Psychol. Disp. 6. theor. 4. p. 192.* sic ait: *Anima matris virtute plasticâ non producit animam: nam 1. pater non esset pater. 2. Cur fœminæ absq; viris non possent concipere? Cur ova subventanea, quæ à fœminis absq; matre concipiuntur fœtui producendo sunt inepta? Quid de plantis dicemus, quæ maris solùm officio funguntur, & semen maturum in terræ gremium projiciunt, ubi certè bruta terra non est causa tàm nobilium operationum. 3. Virtus plastica patris esset superflua, nam eam supplere anima matris posset, cum utriusq; virtutes plasticæ non differant specie.* II. Uteri calorem quod spectat, habet ille rationem instrumen-

ti, unde hîc quid solatij quærere vanum est. III. Concursus Cœlestium Universalis est, ergò nec ille animā gignere valebit. IV. Calorem nativum vi vitali ab animâ imbui, est petitio principij, quâ de re in *Tractat. de Morb. Tot. Substant. Quæst.* 7. abundè dictum.

## *Ad Argum. V.*

*Calor non producit vermes.*

1. Minor est nulla, probatq; dubium per æquè dubium. Probandum scilicet est, calorem facere vermes. Accidens substantiam producere nescit, & inanimatum si animatum efficit, effectus nobilior suâ causâ erit. Quæ omnia suprà, ut & in *Tractat. de Morb. Tot. Subst.* sæpius fuerunt agitata. 2. In probatione & explanatione Majoris Consequentiæ, afferuntur ejusmodi absurda, quæ etiam refutare valerent rustici. Nempè semen & fœtum in matrice, matri instar brachij & pedis adhærere. Ergonè parturientes mutilæ & mancæ redduntur? Argumentor: *Quicunq; amittit id quod instar brachij & pedis se habet, is mutilatur. Parturientes amittunt id quod instar brachij & pedis se habet. Ergò muti-*

*An fœtus in utero, matri instar brachii & pedis adhæreat.*

*mutilantur.* Adjiciam verba *Clariss. & Excellentiss. Dn. D. Greg. Nymmani*, qui in *Dissertat. de Vitâ fœtus in utero* pag. 28. rem hanc ita dat expeditam: *Dici quidem, non autem sufficienter probari posse, respondeo, fœtum partem matris propriè dictam esse. Nam cum partes duplices sint: Essentiales & Integrales; mox quæro, utra harum infans in utero propriè vocari atq; indigitari queat? Partem essentialem ipsum non esse, me etiam tacente, quivis percipit. Siquidem hæ vel formæ vel Materiæ rationem habent, quorum neutrum fœtui propriè tribui potest. Præterea sublatâ unâ parte essentiali, penitus destruitur totum; at sublato Embryone matrem non destrui, omnibus in propatulo est. Neque etiam pars integrans propriè vocari poterit. Nam quamvis unâ harum sublatâ totum essentiale non semper tollatur; integrale tamen, ad quod refertur, fit mutilum. Quis autem nato infante matrem mutilatam diceret, eamq; suam integritatem nō amplius habere statueret? Cum quoq; sublatâ animâ matris, omnes ejus partes integrantes propriè ita dictæ, simul & semel & unico quasi momento moriantur; Embryo autem cum hisce*

*Fœtus non est pars matris Essentialis.*

*Fœtus non est pars matris Integralis.*

*ut paulò pòst audies, non simul vitâ privetur, hicq; utero non continuus, sed quasi agglutinatus sit, quemadmodum pluribus ostendi, ipsum jure & propriè partem matris integrantem nominari posse nullo modo concedo.* Illa verò, quæ de vivifico calore per arterias venasq; ruente Adversarius adfert, paulò altioris sunt indaginis, sed huc nihil faciunt, siquidem tunc animâ facta, non fienda est.

## PENTAS UNDECIMA.

*Argum. I.*

E quocunq; sequitur rem unã haberè duos act9 existentiales, vel duas formas ultimatas, vel per unum actum ultimatum existere res duas specie diversas, id stare nequit. Ex sententiâ de reali animæ in semine præsentiâ, sequitur rem unam habere duos actus existentiales, vel duas formas ultimatas, vel per unum actũ ultimatum existere res duas specie diversas. Ergò sententia de reali animæ in semine præsentiâ stare nequit. Minor probatur, quia semẽ foret per propriam suam formam, & simul etiam animal ex semine propagandum.

*Argum.*

*Argum. II.*

E quocunq; destruitur natura generationis, id ferendum non est. E sententiâ de reali animæ in semine præsentiâ, destruitur natura generationis. Ergò sententia hæc ferenda non est. Minor probatur, quia generatio non est principiorum, sed totius compositi. Quandò ergò illa perficitur? Non tunc cum anima fabricat corpus, quia generatio fit in instanti, fabricatio autem corporis egregium postulat tempus. Nec etiam tunc, cum generatur semen, quia deest propria materia, quæ non tantùm partes seminales, sed & sanguineas requirit. Et quomodo forma cum alterâ materiæ parte propagabitur, aut ei inerit?

*Argum. III.*

Nulla forma existit extra materiam propriam. Animæ materia propria quam informat, non est semen, sed corpus organicum. Ergò extra organicum corpus non existit. Major probatur, quia si forma subsistere posset extra peculiarem suam materiam, esse posset in materiâ quâlibet, & sic res quælibet fieri quodlibet.

*Argum. IV.*

Nulla forma ſibi diſponit materiam, ſed potius materia diſponitur ut forma eam ingrediatur. Anima eſt forma. Ergò materiam ſibi non diſponit, ſed potius diſponitur materia ut anima eam ingrediatur. Major probatur, quia aliàs fruſtraneæ eſſent tot tantæq; mutationes & mixtorum generationes.

*Argum. V.*

Ut ſe habet ſanguis reſpectu ſeminis, & ovum reſpectu formæ pulli, ita etiam ſe habet ſemen reſpectu animæ. Sed in ſanguine non eſt forma ſeminis, ſed proxima potentia; & in ovo non eſt actu forma pulli, alioquin ovum eſſet pullus, ſed proxima ad pullum potentia. Ergò etiam in ſemine non eſt actu forma rei ex eodem naſcituræ, ſed potentia ad eandem.

## Adverſarij Verba.

### Thesis XXXI.

*Si verò anima animantis, vel anima fabricans corpus actu exiſtat in ſemine, ſequetur rem unam habere duos actus exiſtentiales, vel duas formas ultimatas, vel per unum*

*unum actum ultimatum existere res duas specie diversas. Foret enim semen per propriam suam formam, & simul animal ex semine propagandum. Semen enim canis esse canem imperfectum, quoad membra vel corpus organicum concedit Scaliger propter actu præsentem formam.*

## THESIS XXXII.

*Generatio propriè non est principiorum, sed totius compositi. Perficitur cum à generante generatur semen vel cum anima fabricat corpus: non enim fabricat corpus, quia generatio fit in instanti seu puncto, quod forma per se primò sit indivisibilis; sed neque cum generatur semen. Etiamsi enim dicatur continere formam, tamen istius forma propria materia non est quæ cum illa constituit substantiam generandam, (neque enim etiam, quod benè notandum, partes seminales tantum constituunt subjectum & corpus animalis sed & sanguinea. Quomodo forma cum alterâ materiæ parte propagabitur aut ei inerit?) Caret itaq; alterâ parte, videlicet corpore organico, quod ex semine porrò exstrui debet. Res autem tota generari dicitur, non altera ejus pars, & anima est actus corporis organici.*

## THESIS XXXIV.

*Miror, qui factū, quod Adversarius nullam formaverit Thesin 33.*

*Nulla forma extra propriam existit materiam, Animæ subjectum seu materia, quam propria informat non est semen sed corpus organicum. Si autem forma subsistere queat, extra peculiarem suam materiam posset esse in materiâ quâlibet, & sic res qualibet fieri quidlibet verum pro dispositione peculiaris & propriæ materiæ recipitur, servatur & intercidit forma.*

## THESIS XXXV.

*Forma non disponit sibi materiam, ut eam ingrediatur & habitet, sed materia disponitur, ut formam recipere possit. Quocirca tot tantæq; fiunt mutationes & mixtorum generationes, ut tandem ad nobilissimæ, qualis humana est, acquisitionem perveniatur. Ex elementis generantur alimenta, ex alimentis chylus chymus, sanguis semen; & uti in sanguine non est forma seminis, sed proxima ad id potentia, ita in semine non est actu forma rei ex eodem nasciture.*

*Uti in ovo non est actu forma pulli, alioquin ovum esset pullus, sed proxima ad pullum potentia, ita neque in semine est actu forma animalis sed potentia ad eandem &c.*

Respon-

## Reſponſio Generalis.

### *Adverſarius unum idemq́; non ſine tædio aliquoties ingeminans, ἀδολεσχίαν committit, tempus perdit, lectorem fatigat, & ſe parum dictorum ſuorum memorem eſſe indicat.*

Ἔκθεσις.

Iterum adfert Adverſarius, è formarum traductione ſequi, duos actus exiſtentiales ſeu ſpecificos in unâ eſſe materiâ, & unum actum ultimatum in duabus eſſe rebus: principia non generari ſed compoſitum: ſemen non eſſe animæ materiam propriam: rem totam generari & non alteram ejus partem: animam eſſe actum corporis organici &c. Sed cui bono? Forſan ut applicet ſibi illud Plutarchi: *Ut ubi dolet, ibi manum habemus: ita ſi quid delectat, ibi linguam habemus.* Verùm majore ſtudio auribus, quàm linguâ, utitur.

## Reſponſiones Speciales.

*Ad Argum. I.*

Minor negatur. Anima enim in ſe-

mine non habet actum formalem simpliciter sic dictum. Quâ de re hactenus sæpius, & inprimis suprà in Responf. 1. Pentadis Tertiæ.

*Ad Argum. II.*

Minor iterum negatur. Quoad probationem, generatio unique est principiorum, ut probatum suprà in Resp. ad Arg. 1. Pentadis Secundæ. Cæterùm 1. quæstionem illam, *quando perficiatur generatio*, quod spectat, distinctè respondendum est. Generatio enim vel est *Incboata*, vel *Consummata*. Inchoata est, cum forma generatur mediante aliquali suæ speciei materiâ. Sic cum parentes semina emiserunt, eaq; utero rectè disposito commiserunt, facta est generatio, hæc nempè quæ Inchoata dicitur. Tunc enim nec pater amplius generat, nec mater. Consummata est, cum totum compositum cum omnibus suis partibus & membris productum est. Sic cum in utero generata fuerunt ossa, venæ, arteriæ, nervi, musculi, cor, epar, cerebrum, pulmo, ventriculus, renes, lien, & reliquæ partes omnes & singulæ, tunc facta est hæc generatio Consummata. Et hæc posterior

*Quando fiat generatio.*

*Generatio Inchoata quid.*

*Generatio Consummata quid.*

rior nunquam esse potest sine illâ priori, siquidem natura non facit saltum, sed semper ab imperfecto progreditur ad perfectum: illa autem sine hac sæpissimè est, ut cum fiunt abortus, cum ova gallinis non supponuntur, aut calore debito non foventur, vel cum alio modo naturæ conatus avertitur. 2. Quæstio ista, *an generatio fiat in instanti*, uno ore hodiè ab omnibus affirmatur. Verum pensitanti 1. generationem Consummatam, quæ pro varietate animalium est varia, & ad menses, imò ad annos aliquot, nonnunquam se extendit; & 2. generationem Inchoatam, prout natura semina deponit, & depositione illâ generat: res longè aliter videtur. Nunquam enim opera hæc in momento fiunt, sed & metalla, & plantæ, & bruta, & homines, & omnia generantia, certo temporis spatio sese expediunt. Fundamentum generationis in instanti, mihi falsa videtur hypothesis, eductio scilicet formarum è potentiâ materiæ. Cùm n. formæ nō habeant partes extra partes, oportet eas simul uno momento (si educuntur) educi, quâ eductione datâ generatio à Scholasticis dicitur facta.

*An generatio fiat in instāti.*

3. A

3. A materiâ generationis Consummatæ, ad materiam generationis Inchoatæ, argumentari non licet. Non enim si ibi anima in partibus spermaticis & sanguineis est, etiam hîc ibi erit. Sufficit semen calido innato esse refertum, & sic sat apta animæ erit materia. 4. Semē partem materiæ seu corporis esse, negare, & nihilominus quomodo forma cum semine, tanquam alterâ materiæ parte, propagetur, quærere, est sibi contradicere. Putarem semen in utero habere rationem totius, non partis.

### *Ad Argum. III.*

*Quo sensu formis cō-petat materia propria.*

Distinguendum est, inter animam prout est in actu Formali simpliciter dicto, & prout est in actu entitativo vel etiam in actu formali secundum quid dicto. Priori modo Minor conceditur: sed non posteriori. Nempè, si hominem, prout speciem mundi constituit, consideres, & in sua principia essentialia dividas, illius formam Animā Rationalem & materiam Corpus Humanum vocabis. Sed, sequiturné exinde, animam nullibi nisi in hoc corpore humano esse posse? Distingue perfecta

fecta à perficiendis, completa à complendis, & consummata ab inchoatis, & rem habebis manifestam. Nec metuendum, ne res quælibet fiat quodlibet, quia non per sanguinem, non per lac, non per chylum, non per quandam partem integrantem, sed unicè per semen, illa propagatio perficitur.

*Ad Argum. IV.*

Major est nulla. Siquidem utrumq; stat, formę & materiam dispositam cum quâ propagentur desiderant, & illam dispositam materiam ulterius uberiusq; disponunt, ordinant, & elaborant. Perfectum enim non saltem est in perfecto, sed etiam in imperfecto: sicut anima quercus enim in surculo & radice est. Probatio Majoris itidem est nulla. Nam in speciebus naturalibus non saltem forma, verùm etiam materia adesse debet, quæ per multas mutationes, mistiones, ordinationes, secretiones & concretiones, perficienda & elaboranda venit. Et, ut addam quid è thes. 35. non sine absurditate Adversarius, ad animæ Rationalis è potentiâ materiæ eductionem inclinare videtur. Quâ de re infrà clarius.

*Formæ sunt in materiâ, quæ est respectivè & disposita & indisposita.*

*Ad Arg.*

*Ad Argum. V.*

Major est bimembris. Prius membrum est, *ut se habet sanguis respectu seminis, ita etiam se habet semen respectu animæ.* Qualis quæso hîc consequentia? Alio sanè fine natura format sanguinem, & alio semen. Medium propagationis confundendum non est, cum medio nutritionis. Posterius membrum est, *ut se habet ovum respectu pulli, ita etiam se habet semen respectu animæ, seu animati.* Quod facilè concedimus. Sed sic Minor petit principium: probandum enim in ovo formam pulli non esse actu. Et quamvis dicatur, ovum alioquin esse pullum, tamen nihil dicitur. Pullum enim non sola anima cum aliquali materia, sed anima cum materiâ elaboratâ, corpore scilicet organico, constituit.

## PENTAS DUODECIMA.

*Argum. I.*

Si generatio fit, cum forma sibi ex semine fabricat corpus, sequitur rem quamlibet seipsam generare. Sed posterius est absurdum. Ergò & prius. Et quamvis respondeant, rem generari cum generatur semen: tamen sic res

existentialis generata foret & non existeret, actu esset & simul non esset. Procreato in testibus semine foret animal, eoq; perdito moreretur.

*Argum. II.*

Si canis anima est in semine actu, canis semen esset canis. Sed posterius non est. Ergò nec prius. Et quamvis respondeat Scaliger, se assentiri, videlicet semen esse canem imperfectum, carentē articulationibus: tamen 1. cum canis sit substantia non recipiens magis & minus, impropriè dicitur imperfectus. Aliud enim est, mutilum esse, & aliud imperfectum esse. 2. si ex semine necessum est fieri corpus organicum, ut fiat pars compositi & adæquata materia seu subjectum formæ, sanè forma animalis ipsa nec in semine actu persistere, nec in illo existens rationem animalis quamvis imperfecti importare potest. 3. cùm forma in semine existens, ex semine fabricat corpus, fit successivè, & ut è semine fiat corpus organicum, necesse est semen corrumpi, quoniam interim dum fabricat corpus forma non est in semine, quia id jam interiit, neque in corpore, quia id nondum præparatum & absolutum est.

*Argum. III.*

Quæcunq; ſententia inexplicabiles continet contradictiones, illa defendenda non eſt. Sententia Scaligeri de præſentiâ animæ in ſemine, inexplicabiles continet contradictiones. Ergò defendenda non eſt. Minor probatur, quia Scaliger Exerc.6.no.7. & no.9. ait, eandem formam ſeminis poſteà futuram eſſe formam animalis: & tamen no.5. rotundè ait, in ſemine eſſe animā formatricem antecedentem animam, cui parat illud domicilium, illamque priorem hac poſteriori eſſe ſapientiorem & nobiliorem. Ubi non tantùm egregia adeſt contradictio, ſed etiam multa falſa, ſiquidem ſana philoſophia præſtantiorem eſſe formam ſeminis quàm animantis ex ſemine nati non concedit; neque etiam opus eſt formis rerum corruptibilibus aſſignare ſcientiam, ſapientiam, & intellectum, cum non agant ſuo ſed univerſi fine, & opus naturæ ſit opus intelligentiæ.

*Argum. IV.*

Si ſemen animâ rationali præditum, non eſt homo ſub formâ perfectâ & ma-

materiâ imperfectâ, sequitur etiam semen animâ canis præditum non esse canem imperfectum. Sed prius habet Scaliger Exerc. 290. Ergò & posterius negare nequit. Major patet, quia quod in rebus omnibus falsum est, cur in cane verum erit? Neque enim humana tantùm, sed & rerum omnium forma, in imperfectâ & indispositâ materiâ subsistere & recipi non potest. Nec excipi potest formam canis esse materialem, quia ob id majorem materiæ postulat perfectionem.

*Argum. V.*

Nulla forma inducitur nisi in materiam planè dispositam. Anima canis est forma. Ergò non inducitur nisi in materiam planè dispositam. Major probatur, ajunt enim philosophi, quod causa inducens ultimam dispositionem, sit etiam causa introductionis formæ, quod & de animâ rationali intellectum volunt.

## Adversarij Verba.

### Thesis XXXVI.

*Si generatio fiat cum forma ex semine sibi fabricat corpus, res qualibet seipsam generat.*

*nt. Atque respondent: rem generari cum generatur semen, verùm sic res existentialis generata foret, neque tamen existeret, actu esset, & simul non esset. Procreato in testibus semine, foret animal, eoq́; perdito moreretur, cum nemo sanus humano vel canino semine perdito animal mori, sed principium ejus in quo potentia proxima erat interiisse profiteatur.*

THESIS XXXVII.

*Si canis anima est in semine actu, canis semen esset canis. Ad hoc respondet Scaliger, se assentiri, videlicet semen esse canem imperfectum carentem articulationibus.*

*Sed cum canis sit substantia, non recipiens magis & minus in suo genere, impropriè dicetur imperfectus. Uti enim homo corpore mutilo vel claudo non dicitur imperfectus, sic nec canis dicēdꝰ foret ab hoc imperfectꝰ, quod corporis articuli sint imperfecti, si modò semen proprium canis foret corpus, quantumvis mutilum cum quo anima unam constituat substantiam, quæ canis nominetur. Verum anima non est actus seminis sed corporis organici. Proinde si ex semine necessum est fieri corpus organicum ut fiat pars compositi & adæquata materia seu subjectum formæ, sanè forma animalis ipsa nec*

in se-

*in semine actu persistere, nec in illo existens, rationem animalis, quamvis imperfecti importare potest. Cum forma in semine existens, ex semine fabricat corpus, fit successive, & ut è semine fiat corpus organicum, necesse est semen corrumpi, quocirca interim dum fabricat corpus, forma non est in semine, quia id jam interiit, neque in corpore; quia id nondum præparatum & absolutum est.*

THESIS XXXVIII.

*Quid est quod Scaliger Exerc. VI. no. VII. inquit, eandem formam quæ nunc est seminis postea futuram animalis, qua animal erit hoc quod erit. Et ibidem no. 9. animam sui domicilij architectam, cum tamen no. V. rotundè dicat, in semine esse animam formatricem, antecedentem animam cui parat illud domicilium, illamq; priorem hac posteriore esse sapientiorem & nobiliorem, quod fabricantem non oporteat ignorare quid quantum opus habeat illa altera ingressura, quocirca sciat cum cor ædificat quid sit vita, cum alias moliatur partes, earum finem & usum notum habeat, pariter formam in semeto fabricantem corpus nobiliorem esse, quàm sit forma informans, quia sit principium movens & efficiens & dans hanc.*

## THESIS XXXIX.

*Concilient illa summi philosophi, qui hanc ejus sententiam de animâ suum sibi domicilium exstruente sequuntur & amplectuntur. Generantem hic à generato, seu formam construentem corpus organicum, ab illa secuturâ formâ quæ id informat differre statuit, quod alias negat, & seminis formam esse animantis ex semine nati præstantiorem, quod sana philosophia non admittit. Tendit enim natura in generatione ad id quod præstantius & nobilius est, quocirca ultimatæ formæ existentiam largientes cæteris præcedentibus sunt præstantiores, quia propter hanc iverant. Res actu existens semper præstantior est re illa ex cujus potentiâ nascitur: animal semine præstantius est: proinde seminis forma nobilior non est animalis forma: per formam res est id quod est: ergò rei dignitas à forma est. Animalis forma tantò dignior est seminis forma, quãto actus potentia. Deniq; quid opus formis rerum corruptibilibus assignare scientiam sapientiam & intellectum, cum non agant suo sed universi fine, & opus naturæ sit opus intelligentiæ, ut non sit necessum formam ædificantem cor intelligere quid sit vita. Ma-*

gnes

*gnes trahit ferrum, quomodo verò & cur & quo fine ipsemet non novit, satis est qui creavit, & qui conservat dirigitq; id novisse.*

THESIS XL.

*Atqui redeundum eò unde excideramus. Idem exercit. 290. ait si in semen informe statim introducas intellectum, erit semen homo sub forma perfecta, materia imperfecta: Atqui hoc absurdum, de canis autem animâ id verum esse neque absurdum esse largitur: At quod in rebus omnibus falsum, cur in cane verum erit. Neque enim humana tantum sed & rerum omnium forma, in imperfecta vel indisposita materia subsistere vel recipi non potest. Nec est quod excipit philosophus formam canis esse materialem: Idcirco enim majorem dispositionem & perfectiorem materiæ requirit, quia ex ejus potentiâ orta est & cum certâ ejusdem dispositione perdurat. Materialis forma ideò propriam peculiaremq; desiderat videlicet ex qua nata est, materiam, ejusq; sibi congruentem non imperfectam dispositionẽ nec enim ex imperfecta & indisposita materia exsurgit nec cum eadem persistit. Forma seminis non erit in materia sanguinis, neque hujus in alimento, neque animalis in se-*

*mine. Forma non inducitur nisi in materiam planè dispositam, & ultimata dispositio est velut formæ introductio: ajunt enim philosophi, quod causa inducens ultimam dispositionem sit etiam causa introductionis formæ, quod & de animâ rationali intellectum volunt.*

## Responsio Generalis.

***Adversarius arma sumit adversus Scaligerum, semen canis canem imperfectum, articulationibus carentem, vocantem: sed frustrà & vanâ sine viribus irâ.***

Ἔκθεσις.

Maximam partem contra Scaligeri verba, quibus semen canis imperfectum canem appellitat, pugnat: cum tamen nescius non sit *Excellentiss. Dn. Sennertum*, de illâ Scaligerianâ locutione parum esse sollicitum, & sive toleretur, sive non toleretur, nemini ob id irasci. Si cui ita loqui non placet, ait in *Conf. & Diss.* cap. 9. quia membrorum articulatio non adsit, me non offendit. Si ergò Dn. D. Freitagio locutio illa non placet, quid hoc ad Dn. D. Sennertum? Respon-

# Reſponſiones Speciales.

### *Ad Argum. I.*

Major eſt nulla. Cum enim generatio alia ſit Inchoata ſeu Imperfecta, alia Conſummata ſeu Perfecta, anima cum partes generat, ſeipſam non generat, ſed id quod inchoatum & imperfectum eſt, conſummare & perficere laborat. Nec metuendum, ne res exiſtentialis (ut loqui geſtit Adverſarius) generata ſit & non exiſtat, actu ſit & ſimul non ſit: aliud enim generatione Inchoatâ, & aliud generatione Conſummatâ generatur, ita ut illud utiq; ſit, licet hoc non ſit. Sic licet pes non ſit, tamen anima eſt, quia hujus generatio non eſt iſtius generatio, & iſtius non hujus, ac impoſſibile eſt duas has generationes in animalibus perfectis fieri ſimul. Multò minùs metuendum, ne procreato in teſtibus ſemine fiat animal, eoque perdito perdatur animal, & procreato ſemine in homine fiat homo, & perdito eo perdatur homo, aut forſan ne *ἐξονειρώττοντες* pœnâ capitis plectendi veniant. Nam 1. utriusque ſexus ſemen in utero debitè ac legitimè miſtum intelligimus.

*Quid poſt factam in utero conceptionem generetur.*

*An ἐξονειρώττοντες perpetrēt homicidium.*

Quorsum ergò huc semina vel in testibus contenta, vel temere profusa? 2. Animal & homo (suppositione absoluta) nil dicitur, quod necessariis caret partibus. Quorsum ergò hæc ad semina?

*Ad Argum. II.*

Fuit fermè ad omnia responsum: breviter tamen pauca repetam, & nonnulla addam. Nempè 1. Major est nulla. Canis enim vox *non diminuta* toti composito rectè elaborato competit. 2. Scaliger canis vocem diminuit: ergò à termino *diminuto* ad terminum *absolutum* argumentari, est Sophisticè à dicto secundum quid ad dictũ simpliciter procedere. 3. Locutionem Scaligeri de cane imperfecto *Clariss. Dn. Sennertus* adeò non defendit, unde contra eum Adversarius malè excipit. 4. Nec quid *imperfectum*, nec quid *mutilum* sit, Adversarius intelligit. Ait, *cum canis sit substantia non recipiens magis & minus, impropriè dicitur imperfectus.* Ratio hæc egregia est. Sic non dabuntur metalla imperfecta, quia metalla substãtiæ sunt, quæ magis & minus non recipiunt: non dabuntur animalia imperfecta, quia animalia

*De Perfecto & Imperfecto.*

malia ſubſtantiæ ſunt, quarum non eſt magis & minus recipere: non dabuntur oſſa imperfecta, quia oſſa ſubſtantiæ ſunt &c. Quando quæſo tota dicuntur perfecta & quando imperfecta? Dubio procul tunc, cùm partes vel perfectæ vel imperfectæ ſunt. Tota enim totius perfectio à partium perfectione eſt. Hinc Metaphyſici (ad quos termini hujus explicatio ſpectat) non dubitant Bimum appellare imperfectum. Si jam *D. Freitagius* dicam iſtis ſcriberet, & bimum ſubſtantiam eſſe, quæ magis & minus non recipiat, regereret, Doctorem hunc neſcire quid Perfectum & Imperfectum ſit, protinus audiret. Siquidem cum Ens in Perfectum & Imperfectum dividitur, nõ eſſentialis perfectio intelligitur: quia ſic omne ens eſt perfectum: ſed accidentalis, reſpectu quantitatis, figuræ, diſpoſitionis, finis &c. attenditur. Cur ergò Metaphyſici bimum reſpectu quantitatis non dicerent imperfectum? Cur Phyſici embryonem reſpectu quantitatis, diſpoſitionis, & finis, non appellarent imperfectum? Cur Scaliger ſemen canis reſpectu quantitatis, figuræ, diſpoſitionis,

& finis, non vocaret seu canem, seu animal, seu corpus imperfectum? Et ne hilum quidem huc pertinet, quod addit Adversarius, aliud esse mutilum, & aliud imperfectum. Verissimum sanè hoc est, sed quid ad rem, mi Freitagi? Estné semen in utero ens imperfectum, an ens mutilum? Proceditné natura ab imperfecto ad perfectum, an à mutilo ad integrum? Miræ subtilitates contra subtilitatum afferuntur Magistrum. Est manetq; semen in utero ens imperfectum, licet substantia sit, quia imperfectio accidentia respicit, non essentias. Mutilum verò semen appellare, est planè delirare, quia mutilum propter partis alicujus integrantis defectum, non propter partium imperfectionem, nec etiam propter omnimodam partium omnium absentiam, est & dicitur. Hinc si dicis, omnes partes integrantes in semine abesse, & propterea id mutilum vocandum; respondemus, mutilum præsupponere aliquas partes integrantes, & ubi omnes partes unà desunt ibi mutilum non esse. Sic anima Rationalis à corpore separata, homo mutilus dici nequit, ob omnimodam omnium

*De Mutilo.*

par-

partium integrantium absentiam: Substantia Incompleta tamen vocatur, quia differunt immensum, Incompletum, Mutilum, & Imperfectum. Hinc & bimus mutilus non dicitur, quia habet omnes suas partes: imperfectus tamen dicitur, quia nondum justam suam habet magnitudinem. 5. Non sequitur, si ex semine fieri debet corpus organicum animalis, forma animalis non actu est in semine. Contrarium potius infertur, quia nempè anima ex illo semine facere debet corpus organicum, ergò in eo necessariò actu esse debet. Ratio, quia non operatur ad distans. 6. Quid hoc est, anima in semine existens rationem animalis, quamvis imperfecti, importare non potest? Anima sanè non facit, ut animal imperfectum dicatur, hæc enim satis perfecta est, sed corpus in causa est, quia hoc elaborandum, disponendum, formandum, & augendum est. 7. Quomodo semen dicitur corrumpi? An *Categorematicè*, an *Syncategorematicè?* An in *sensu Diviso*, an in *sensu Composito*? Categorematicè seu in sensu Diviso cor-

*An semen Categorematicè, an Syncategorematicè corrumpatur.*

corrrumpi dicitur id cujus ſingulæ partes mutationem ſubſtãtialem ſentiunt. Syncategorematicè ſeu in ſenſu Compoſito corrumpi quid dicitur, cùm totum quà totum mutatur. Sic dicimus totum hominem mori, non ac ſi unà cum corpore anima etiam moreretur, ſed quia homo non amplius manet homo. Idem contingit in ſemine, quod dicitur totum mutari & corrumpi Syncategorematicè, nempè, quatenùs ſemen non manet ſemen. Fruſtrà ergò hîc regerit Adverſarius, animam interim dum corpus fabricat in ſemine non eſſe, neque etiam in corpore, quia id interiit, & hoc nondum eſt. Si ſemen Categorematicè interiit, è quonám fiunt oſſa, arteriæ, venæ, & omnes partes ſpermaticæ? Dubio procul, ex nihilo. At ex nihilo nihil fit, ad mentem Freitagii. Ergò oſſa, arteriæ, venæ, & omnes partes ſpermaticæ ſunt nihil.

*Ad Argum. III.*

Minor eſt falſa, fruſtraq; Adverſarius exagitat Scaligerum, quem non intelligit. I. Contradictionem è verbis Scaligeri extorquet, idq; illi adſcribit, quod

quod ne per somnium quidem cogitavit. Nempè *Exercit. 6.* non semel Scaliger ait, illam ipsam animam quæ in semine fuit, postmodùm etiam animalis futuram esse formam. Quibus verbis Adversarius opponit id, ubi in semine esse animam formatricem, antecedentem animam cui parat illud domicilium, illamq; priorem hac posteriori præstantiorem & sapientiorem esse, idem Scaliger eâdem *Exercit. 5.* habet. Hinc contradictiones, falsa & absurda, è verbis Scaligeri nectere omni attentat conamine. Verùm mens subtilitatum Magistri altius si pensitatur, longè aliud sonat. Disputat enim ibi non è propriis, sed è concessis, hoc pacto: *Fabrica corporis aut fit à substantiâ, aut ab accidente, aut ab utroq;. Non ab accidente solo.* Ob rationes quas addit. *Ergò à substantiâ. Hæc substantia, anima erit, quia easdem operationes habet, quas aliàs anima habet. Si anima erit, & nihilominus forma extrinsecus venire debent, erit in semine anima formatrix antecedens animam cui parat illud domicilium: erit prior illa posteriore hac sapientior & nobilior, quemadmodum nos anteit potestate & sapientiâ* *Discursus Scaligeri.*

*Crea-*

*Creator Opt. Max. qui nostra hæc utenda dedit nobis: erit non nescia, quid, quantum opus habeat illa altera ingressura: erit benè instructa, cum cor ædificat, quid sit vita: erit etiam illa forma quæ in fimeto fabricat corpus, nobilior quàm forma informans* Præter omne ergo meritum jam subtilissimus Scaliger à Freitagio carpitur & discerpitur. Disputat enim ille κατ' ἄνθρωπον, & illis qui formam extrinsecus venire putant sese opponit, falsaque nonnulla è sententiâ istorum nectit, quæ falsa cum sanis ipsius Scaligeri sententiis pugnare animadvertens D. Freitagius, mirum dirumq; in modum vociferatur & indignatur. Ita nempè cum scopum dicentis non attendimus facilè decipimur, stulteq; & ineptè excipimus. 2. Transeat quod formas dicat corruptibiles, & tamen eas cum Scholasticis nec generari, nec corrumpi, statuat. Malè nunc opponit, quæ sunt subordinata. Naturæ opus est opus intelligentiæ, dicit, ergò scientia, sapientia, & intellectus, istis formis corruptibilibus adscribi non debent, cum etiam agant non suo sed universi fine. Argumenta formaren-

tur

tur hoc modo: (1.) *Quæcunq; ita agunt, ut illorum opus adſcribatur intelligentiæ, illa nullâ opus habent ſcientiâ & ſapientiâ. Formæ corruptibiles ita agunt, ut illarum opus adſcribatur intelligentiæ. Ergò formæ corruptibiles nullâ opus habent ſcientiâ & ſapientiâ.* Argum. Ubi Majorem opponere ea, quæ ſubordinata ſunt, quis non videt? Resp. Do inſtantiam: *Quæcunq; ita agunt, ut illorum opus adſcribatur intelligentiæ, illa nulla opus habent ſcientiâ & ſapientiâ. Omnes naturæ ita agunt, ut illarum opus adſcribatur intelligentiæ. Ergò omnes naturæ nullâ opus habent ſcientiâ & ſapientiâ.* Plura ſuprà in *Reſponſ. ad Argum. IV. Pentad. Sextæ.* (2.) *Quæcunq; non agunt ſui, ſed univerſi fine, illa non opus habent ſcientiâ & ſapientiâ. Formæ corruptibiles non agunt ſui, ſed univerſi fine. Ergò formæ corruptibiles non opus habent ſcientiâ & ſapientiâ.* Argum. Ubi Minor peſſima eſt, ut dictum probatumq; ſuprà loco modò citato. Resp.

### *Ad Argum. IV.*

Iterum Adverſarius locutionem Scaligeri de cane imperfecto impugnat, unde quid addere fermè ſupervacaneum

um est. Hoc tamen summè urgere videtur, cur in cane saltem verũ sit, quod semen ejus imperfectus canis audiat, in homine vero & aliis omnibus id falsum deprehendatur. Sed respondeo 1. Scaliger disputat è suâ hypothesi, ac si anima humana à Deo creetur, & in corpus rectè elaboratum introducatur. Unde subjungit: *De canis animâ, quae est materialis, verum est: unam eandemq; esse in semine & in cane. Neque primum plantae vitam vivere: nisi quia caret instrumentis. At in homine longè alia ratio. Advenit enim à Coelo nova creata anima post foetus articulationem: qua animâ tunc massa illa homo fit.* Hoc ergò vult Scaliger: si in semen informe statim introducas intellectum seu animam hominis, erit semen homo sub formâ perfectâ, materiâ imperfectâ. Falsum autem & absurdum est, dari hoc sensu imperfectum aliquẽ hominem. Cur? Quia anima hominis advenit demùm post articulationem, atque sic protinus fit homo perfectus, non autem prius imperfectus. Quî autem fit, quod detur canis imperfectus? Respondet Scaliger, quia ibi anima nõ demum accedit, cum membra sunt elabora-

*Hypothesis Scaligeri.*

borata, sed statim ea unà cum semine propagatur. 2. Falsum est, in solo cane ad mentem Scaligeri verum esse, quod semen ejus sit imperfectus canis, sed de omnibus animalibus hoc verum est, uno excepto homine, de quo id falsum & absurdum esse putat Scaliger, cùm anima hominis in semine nunquã sit. 3. Exceptio, de formâ materiali, utiq; ad mentem Scaligeri valet, quia hæc non creatur, sed traducitur: immaterialis autem creatur. Nec momenti alicujus est, quod Adversarius regerit, formam materialem majorem dispositionem & perfectionem materiæ requirere, quia ex ejus potentiâ orta sit; & cùm certâ ejusdem dispositione perduret: hoc enim Scaligero falsum est, unde probandum, non pro certo & probato assumendum, venit.

*Ad Argum. V.*

Transeat, quod forma in planè nullam, sive dispositam, sive indispositam, inducatur materiam. Aliud enim est induci, aliud traduci. 1. Majorem probat Adversarius probatione ridiculâ. Cur enim forma non nisi in materiam

*Mira Adversarii subtilitas.*

planè diſpoſitam inducitur? Respondet, *quia ajunt Philoſophi quod cauſa inducens ultimam diſpoſitionem ſit etiam cauſa introductionis formæ quod & de animâ rationali intellectum volunt.* Fiat Syllogiſmus: *Quicquid ajunt Philoſophi, illud verum eſt. Philoſophi ajunt, quod cauſa inducens ultimam diſpoſitionem, ſit cauſa introductionis formæ. Ergò id verum eſt.* Do inſtantiam: *Quicquid ajunt Philoſophi, id verum eſt. Animam eſſe actu in ſemine, & formas non induci, non educi, ſed traduci, ajunt Philoſophi. Ergò id verum eſt. Ergò D. Freitagius qui contrarium dicit, falſum dicit.* Vel: *Quicquid ajunt Philoſophi illud verum eſt. Nil tàm abſurdè dici poteſt, quod non ajant Philoſophi. Ergò nil tàm abſurdè dici poteſt, quod non verum ſit.* Major eſt Freitagij. Minorem ajunt Philoſophi, ergò vera eſt. In proverbium enim abiit ante ſecula multa inter ipſos Philoſophos: *Nil tàm abſurdè dici poteſt, quod non ab aliquo dictum fuerit Philoſophorum.* 2. Jam tandem ſeſe prodit humile & craſſum Adverſarii de Animâ Rationali judicium. Scilicet etiam hanc educi è potentiâ materiæ putat. Ajunt philoſophi, dicit, quod cauſa

*Adverſario etiam Anima Rationalis è potẽtiâ materiæ educitur.*

causa inducens ultimam dispositionem sit etiam causa introductionis formæ, quod & de animâ rationali intellectum volunt. Itané ergò divinæ particulam auræ humi affigere, & è cœcâ illâ Elementorum crasi derivare non dubitat D. Freitagius? Ajunt quidem id Philosophi, sed paucissimi, plurimi verò non sine reverentiâ quadam animam rationalem excipiunt, illamq; creari, quàm educi, malunt. Imò ipse Adversarius semper κατὰ τὸ ῥητὸν Animam Rationalem hactenùs excepit, an verò Creationem, an Traductionem istius statuat, non addidit, & jam parùm sobriè approbat id quod ajunt crassi illi, & hîc non-philosophantes Philosophi. Approbat, inquam, non nudè recenset, quia philosophos loco medij termini quoad inductionem formarum adducit.

## PENTAS DECIMA TERTIA.

*Argum. I.*

Ut se res habet de formâ, ita etiam se habet de materiâ. Sed forma sanguinis non potest esse forma seminis, neque forma seminis forma animalis. Ergò

etiam materia sanguinis & seminis non sunt materia animantis.

*Argum. II.*

Si generatio fit per propagationem identicarum formarum, semina rerum suas propagabunt formas, & sic semina generabunt semina, chylus chylum, sanguis sanguinem, cibus cibum, & homo hominem, non autem semen, vel semẽ hominis erit homo. Sed posterius est absurdum. Ergò & prius.

*Argum. III.*

Si formæ propagantur sui divisione & translatione in semen, generatio nõ erit mutatio à non esse ad esse. Sed posterius est paradoxum. Ergò & prius. Consequentia Majoris est, quia semen canis à Scaligero dicitur ipse canis; & semen quercus erit actu quercus, quia anima quercus in illo est; nec in semine stabit aliqua corruptio, quia forma seminis & rei ex semine genitæ est eadem, res autem illa perit, cujus forma perit.

*Argum. IV.*

Positâ formâ, ponitur formatum: ergò positâ animâ canis, ponitur canis: positâ animâ quercus, ponitur quercus

cus: positâ animâ hominis ponitur homo &c.

*Argum. V.*

Si anima eo modo quo se extendit in augmentando derivatur in semen & ex semine producit corpus, idem generat seipsum, & est à seipso, non ab alio. Sed posterius est falsum. Ergò & prius.

## Adversarij Verba.

### THESIS XLI.

*Quocirca cum sine dispositione convenienti forma esse nequeat, ejusq; apparatu intereunte ipsa intercidat, necessariò sequitur illam non nisi in propriam & sibi peculiariter preparatam induci vel educi. Talis enim substantiarum pars altera est materia, ut ad rei constitutionem tam sui quam formæ proprietas & ratio requiratur. Uti forma sanguinis non potest esse forma seminis neque forma seminis, forma animalis, ita quoque materia sanguinis & seminis accommodata & propria non sint formæ animantis, nec cum eo corpus vel perfectum vel imperfectum & mutilum statuent, quia cum illis & in illis existere nequeunt.*

## THESIS XLII.

*Demum si generatio, fit per propagationem identicarum formarum, semina rerum suas propagabunt formas, & sic semina generabunt semina, chylus chylum, sanguis sanguinem, cibus cibum. Homo nec generabit semen ex quo homo, sed continuò producet hominem, vel necessum erit semen esse hominem, uti Scaliger dicebat semen canis esse canem, corpore saltem mutilum.*

## THESIS XLIII.

*Si animæ rerum & formæ propagarentur ex sui divisione & translatione in semen, generatio non erit mutatio à non esse ad esse. Est enim semen canis ipse canis per formam à generante decisam juxta eorum placita. Et semen quercus est actu quercus, quia anima quercus in illo. Nec enim per corruptionem seminis res nascitur, quia forma seminis & rei ex semine ortæ est eadem; res autem illa perit, cujus forma perit.*

*Verùm forma & formatum sunt tempore simul, nec forma formatum nec formatum præcedit formam, quia generatio fit in momento.*

THESIS XLIV.

*Si forma propagaretur participatione formæ generantis in ſemen, uti anima ſeſe extendit in augmentando, & eadem anima ex ſemine producit corpus, idem generat ſeipſum & eſt à ſeipſo nec ab alio. In ſemen autem non poſſe propagari animam generantis quemadmodum per augmentationem in corpus, quia ſemen non ſit pars corporis, ſuprà oſtenſum eſt.*

## Reſponſio Generalis.

*Parum novi Adverſarius adfert.*

Ἔκθεσις.

Dicit Adverſarius, ad formæ præſentiam requiri materiæ diſpoſitionem convenientem, hinc eam non niſi in propriam & ſibi peculiariter præparatam induci vel educi; chylum non generare chylum, & ſanguinem ſanguinem; generationem fieri à non eſſe ad eſſe, poſitâ formâ poni formatum; nihil generare ſeipſum &c. Sed omnia hæc etiam ſuprà dixerat ſæpius. Sperabam nova ab Adverſario, ſed nova non ſunt, quæ novit.

*Ad Argum. I.*

*Quomodo corpora materiâ conveniant, & quomodo disconveniant.*

1. Distinguo inter materiam *Proximam* & *Remotam*. Quoad Proximam concedo argumentum totum. Omninò enim alia materia proxima est animantis, & alia seminis, alia sanguinis. Quoad materiam Remotam verò Argumentum concedi nequit, aliàs ita argumentarer: *Quicquid habet rationem materiæ in sanguine & semine, illud non habet rationem materiæ in animantibus. Quatuor Elementa habent rationem materiæ in sanguine & semine. Ergò quatuor Elementa non habent rationem materiæ in animantibus.* Et hoc est, quod communiter docent, corpora naturalia materiâ cõvenire, formâ disconvenire. 2. Argumentari à materiâ sanguinis & seminis ad materiam animantis, est materiam *Transeuntem* cum *Permanente*, & materiam *Productionis* cum materiâ *Constitutionis seu Compositionis* confundere. Ratio manifesta est, quia omnium consensu sanguis & semen in constitutione animantis mutantur, totamq; essentiæ & naturæ suæ integritatem non retinent.

*Aliter se habet materia Permanens, & aliter Trãsiens: aliter Productionis, & aliter Constitutionis.*

3. For-

3. Forma & materia conveniunt *in tantum*, sed non *in totum*. Hinc non in omnibus se habet materia, ut forma. Argumentarer enim: *Ut se res habet de formâ, ita etiam se habet de materiâ. Sed forma, ad mentem Adversarii, è potentiâ materiæ educitur. Ergò etiam materia è potentiâ formæ educitur.*

*Forma & materia quomodo conveniant.*

## *Ad Argum. II.*

1. Falsa est Major. Propagatio enim est specierum, non nutrimentorum, non excrementorum, non partium integrantium &c. Homo ergò generat hominem, equus equum, & canis canem; non autem sanguis sanguinem, semen semen, chylus chylum, & forsan ventriculus ventriculum, pes pedem, & brachium brachium. 2. Generationem fieri per propagationem identicarum formarum, duplicem habet sensum. Primus est, de *identitate numericâ*, & sic negamus generationem fieri per propagationem identicarum formarum. Retinet sanè suam animam pater, suam canis generans, suam equus, suam cætera, & aliam numero à seipsis distinctam producunt. Secundus est, de

*Quid generet.*

*An generatio fiat per propagationem identicarum formarum.*

de *identitate specificâ*, & sic concedimus generationem fieri per propagationem identicarum formarum. Generans enim & genitū numero sunt duo, specie unum. 3. Quærere, cur homo non immediatè generet hominem, sed prius semen, cum tamen debeat generare sibi simile, est (1.) nescire naturam non facere saltum, sed progredi ab imperfecto ad perfectum, & (2.) confundere generationē Inchoatam cum Consummatâ, seu, ut Aristotelici loquuntur, generationis terminum Partialem cum Totali.

*Cur homo nō immediatè generet hominem, sed prius semen.*

*Ad Argum. III.*

Transeat quod confundatur terminus Diminutus cum Absoluto. 1. Illud non-esse, ille non-homo, & ille non-canis, quid notant aliud, quàm *Privationem* Scholasticorum? Hæc ergò cum sit suspecta, imò in rei veritate nulla, istis qui non tàm hominum voces & mentes, quàm Naturæ dictamina, magni æstimant, inconveniens non erit, canem non fieri sensu Scholasticorum ex non-cane, hominem ex non-homine, & equum ex non-equo. 2. Si tamen loquendum cum multis & sapiendum

*An, & quo modo, generatio sit mutatio à non-esse ad esse.*

dum cum paucis judicium *Clariss. Dannhavveri* videtur tutissimum, qui in suo *Colleg. Psychol. Theor. 4. p. m. 192.* ita ait: *Obj. Si anima statim adest in semine primo puncto conceptionis, sequitur, semen jamdum esse hominem, adeoq; ex homine fieri hominem, quod est contra principia Physica. Resp. Semen duplicem habet potentiam, vel ad actum primum, quatenus adhuc est intra vasa spermatica, sic est ille non homo ex quo homo generatur: vel ad actum secundum, id est, ad functiones vitales, quatenus jam prolificum, & in utero conceptum est, sic est totum essentiale, id est, homo constans ex anima & corpore: verùm non integrale, quia desideratur adhuc partium organizatio.* 3. Etiamsi anima quæ in semine fuit, permaneat in genito: tamen stat seminis corruptio Syncategorematicè sumpta, quia semen non manet semen. Neque eadem est forma seminis & rei ex semine genitæ: fuit enim anima in semine, non ut forma Specifica in suo informationis subjecto. *An semen corrumpatur.*

*Ad Argum. IV.*

Fuit responsum suprà, ubi eandem Adversarius cecinit cantilenam.

*Ad Arg.*

*Ad Argum. V.*

Simile non est idem. Animam multiplicare se sui promotione, eâ ratione, quâ in accretionibus induit sese in alimenti materiam novam, similis loco adfert Scaliger, & Clariss. Dn. Sennertus cum ipso. Cum ergò omne simile sit etiam dissimile, ultra debitum similitudinis objectum extendi non debet. Hinc Major est nulla. Non enim sicut idem seipsum nutrit & auget, ita etiam idem seipsum generat. In promotione enim in certam materiam saltem conveniunt, non in omnibus.

## PENTAS DECIMA QUARTA.

*Argum. I.*

Si formæ per sui propagationem moventur, dici nequit, quomodo ex chylo fiat sanguis, & ex sanguine semen. Nec enim per transmutationẽ nec per propagationem id fieri potest. Ergò formæ per sui propagationem non moventur.

*Argum. II.*

Si forma propagatur, ubi intercidente individuo manebit? an in nihilum

redi-

redigetur? Sed id naturaliter fieri nequit. Quomodo enim rerum pars potior, totam complens perficiensq; essentiam redigetur in nihilum?

*Argum. III.*

Principia propriè non generantur, aut corrumpuntur, sed res ex iisdem natæ. Forma est principium. Ergò forma non generatur, nec corrumpitur.

*Argum. IV.*

Quicquid tollit omnem generationem æquivocam, id statuendum non est. Formarum propagatio & multiplicatio, tollit omnem generationem æquivocam. Ergò statuenda non est.

*Argum. V.*

Quicquid tollit omnem omnium inanimatorum generationem, illud concedendum non est. Formarum propagatio & multiplicatio tollit omnem omnium inanimatorum generationem. Ergò concedenda non est. Major patet, quia lapides, gemmas, & metalla, singulis seculis fieri observamus, & mista inanimata generari adhuc, non autem omnia à condito mundo extitisse, fatetur ipsemet Clariss. Sennertus.

Adver-

# Adversarij Verba.

## THESIS XLV.

*Si formæ per sui propagationem moventur, quomodo ex chylo fiet sanguis, ex sanguine semen: nec enim per mutationem à præcedente factam, qualis est aeris in ignē, exoritur, nec per sui propagationem introducitur.*

## THESIS XLVI.

*Intercidente individuo ubi manebit forma? an in nihilum redigetur? id naturaliter fieri non potest. Quomodo enim rerum pars potior, totam complens perficiensq; essentiam redigetur in nihilum?*

## THESIS XLVII.

*Principia rerum sunt incorruptibilia, neque propriè generantur aut corrumpuntur, sed res ex iisdem natæ.*

*Deniq; si formæ fuerunt ab initio creationis tales ut se propagando & seipsas per sui divisionem multiplicando, rerum omnium generationem perficiant, omnis generatio erit univoca: nulla mista inanimata ut metalla, lapides & gemmæ, à condito mundo generatæ sunt, nec hodiè generantur, vel in posterum generabuntur (mirum quomodo*

gene-

*generetur calculus in renibus & vesicâ) cum tamen & lapides & gemmas & metalla singulis seculis fieri observemus, & mista inanimata generari adhuc, nec à condito mundo exstitisse omnia. Clariss Senn. ipsemet in lib. de Galen. cum Chym. cons. & diss. fol. 233. fateatur.*

## Responsio Generalis.

### *Adversarius (1.) vagatur extra oleas, & (2.) eadem argumenta tertiâ & quartâ, si non quintâ, vice proponit.*

Ἔκθεσις.

(1.) Sollicitus est, quomodo ex chylo fiat sanguis, & è sanguine semen; & ubi individuo intercidente maneat forma? Ad prius dictum fuit suprà, nos hîc agere de formis substantialibus specierum, non de formis nutrimentorum & excrementorum; ad posterius respondemus, nos jam non disputare, de formarum interitu, sed de formarum ortu. Videat Tract. de Morb. Tot. Subst. Quæst. 4. ad Except. Respons. II.

(2.)Re-

(2.) Refert, principia non generari & corrumpi, propagationem formarum tollere generationem æquivocam, & tollere etiam generationem inanimatorum: sed ad omnia responsum est aliquoties.

## Responsiones Speciales.

*Ad Argum. I.*

Fuit responsum.

*Ad Argum. II.*

Fuit responsum.

*Ad Argum. III.*

Fuit responsum.

*Ad Argum. IV.*

Fuit responsum.

*Ad Argum. V.*

Fuit responsum.

## Pentas Decima Quinta.

*Argum. I.*

Quæcunque se invicem pellunt, illa primò sibi sunt contraria. Formæ primò sibi non sunt contrariæ. Ergò formæ se invicem non pellunt, & p. c. etiam ille generationis modus, qui fit per mutuam formarum expulsionem, est falsus.

*Argum.*

*Argum. II.*

Si formæ Elementorum fiunt per mutuam expulsionem, illæ formæ se citius potiusq; perimeht, à quibus major contrarietas. Sed posterius est falsum, quia in aëre est potior potentia recipiendi ignem, quàm in aquâ, & in habentibus symbolum facilior est transitus & mutatio quàm in asymbolis. Ergò falsum etiam est prius.

*Argum. III.*

Si id quod in ligno aëreum & oleagineum est, in flammam vertitur, terreum verò & aqueum continuò flammam non recipiunt, sequitur Elementa in se mutuò transire per conversionem, non per expulsum vel propagationem formarum diversarum. Sed prius est. Ergò & posterius.

*Argum. IV.*

Si formæ Elementorum per expulsum & propagationem fiunt, non opus est dispositione prævia. Sed opus est dispositione prævia. Ergò formæ Elementorum non fiunt per expulsum & propagationem. Major patet, quia formæ per propagationem divisam translatæ etiam transeunt in materiam indis-

 poss-

poſitam, qualiter anima canis tranſire dicitur in ſemen.

*Argum. V.*

Si in Elementorum generatione mutuâ contingat, ut perficiatur formarum expulſione, reddatur ratio, quomodo miſtorum formæ educantur vel inducantur. An forma gemmæ expellat formam ſilicis, aut metalli, aut aliam ſiquidem per ſemen non propagantur. Sed ratio reddi non poteſt. Ergò etiam non ſtabit illa expulſio.

## Adverſarij Verba.

### Thesis XLVIII.

*Hactenus quomodo per formarum propagationem ex ſui diviſione non fiat rerum generatio, vidimus, ſupereſt ultimus, quem adferunt, modus, videlicet per mutuam expulſionem, quam elementorum ſeſe perimentium & generantium exemplo, quamvis ipſimet in hac opinione fluctuent, demonſtrare ſatâgunt. Sed neq; hoc dogma conſtare poſſe coram tribunali veritatis philoſophicæ exinde patet, quia ſi per alterius formæ expulſionem elementa ex ſe mutuò generentur, formæ ſibi invicem erunt primò contrariæ.*

*Atqu*

*Atqui sic illa formæ sese citius potiusq́; periment à quibus major contrarietas, proinde ignis magis aquæ contrarius quàm aeri, potius ex aquâ quàm aere generabit sui simile. Sed hoc falsum est, siquidem in aere potior potentia recipiendi ignem propter qualitatem magis cognatam, ita in habentibus symbolum facilior est transitus & mutatio, cujus contrarium fieret, si per contrariæ formæ expulsionem altera induceretur.*

## Thesis XLIX.

*Elementa autem in se mutuò transire per conversionem non expulsum vel propagationem formarum divisarum exinde liquido constat, quod illa ligni materia quæ flammæ capax in flammam vertitur, scilicet id quod in ligno aereum & oleagineum erat; terreum verò quia indispositum uti & aqueum eundem continuo non recipiat.*

*Quocirca cum non continuo ab extremis in extrema fiat transitus, necessariò etiam in elementis requiritur quædam dispositio ad recipiendam alterius elementi formam. Illa verò quæ apparat materiam, ut sit habilis ad capescendam aliam formam, etiam facit ut sit amplius inhabilis pro præsente talemq́; eam statuit ut nullam aliam*

*quàm hanc subsequentem peculiarem reci-
pere possit. Hac ratione ex aqua non fit aer
nisi illa maxime rarefacta & calefacta, &
sic dispositâ ut accedente summa formæ gene-
rantis operatione similis educatur. Quod
si per expulsum & propagationem fieret, no
opus fuisset dispositione praviâ, per qualita-
tes futuræ formæ amicas, siquidem form
per propagationem divisam translatæ etiam
transeunt in materiam indispositam, quali-
ter anima canis, uti volunt, est in ejus semi-
ne. Sed si in Elementorum generatione mu-
tua contingat, ut perficiatur formarum ex-
pulsione, reddant rationem quomodo mistо-
rum formæ educantur vel inducantur. A
forma gemmæ expellat formam silicis au
metalli aut aliam? siquidem per semen nō
propagantur.*

## Responsio Generalis.

*Adversarius pugnat cum Aristote-
le & Aristotelicis, de quo vi-
derint ipsi.*

Ἔκθεσις.

*Transmutationem Elementorum Aristoteles ex Ocello Lucano desumpsit.*

Aristoteles ex *Ocello Lucano* repetit
omnia Elementa apta esse inter se per-
muta-

mutari, propterea, quia τὰ στοιχεῖα πάντα ἔχει ἐναντίωσιν εἰς ἄλληλα, διὰ τὸ τὰς διαφορὰς ἐναντίας εἶναι. *2. de generat. & corrupt. cap.4.t.24.* Permutationem istam fieri putat, per mutuam formarum expulsionem, ita ut ignis expellat formam aëris, aër formam aquæ, & sic consequenter. Hanc transmutationem jam negat Adversarius, qui tamen aliàs mavult cum antiquis falsitatē, quàm cum recentioribus veritatem, defendere, & cui semper in ore & corde veneranda illa antiquitas, veterum vera philosophia, & similia, ibi etiam, ubi opinio aliqua vix à Scholasticis nonnullis fuit ficta & picta. Rejici ergò possent simpliciter argumenta hæc, quippè quæ nos non feriunt: cum tamen miseris & ineptis petere videatur Aristotelicos armis, & expulsioni formarum subindè adjungat propagationem earum, quid respondere queant Aristotelici breviter sumus visuri. Interim de Elementorum transmutatione quid cum Viris Doctis sentiam, dictum fuit suprà in *Respons. ad Argum. V. Pentad. Tertiæ.*

# Responsiones Speciales.

## *Ad Argum. I.*

Respondere possunt Aristotelici 1. *Indirectè*, per Instantiam: *Quæcunq; se invicem pellunt, illa primò sibi non sunt contraria. Aves primò sibi non sunt contraria. Ergò aves se invicem non pellunt.* Minorem probare queunt eodem Adversarij medio termino, quia substantiæ sunt, quib. nihil est contrarium. Conclusio tamen falsa est, quia accipiter pellit columbã. Imò ejusmodi pugnas substantiarum ubivis deprehendimus: Pellit fumo apes, pellit unicornu araneã, pellit & expellit mare cadavera & sordes, pellunt corpora animalium excrementa &c. 2. *Directè*, negando Majorem. Sufficit enim contrarietas *Mediata*, & Canon Aristotelicorum, quod substantiis nihil sit cõtrarium, non nisi de hac *Immediata* contrarietate loquitur. Pellit ergò accipiter columbam, non ob concontrarietatem substantiarum ut sic, sed ob contrarietatem qualitatum occultarũ substantiis inhærentium: sic & pellit aqua ignem, nõ ob immediatũ substantiarũ dissidium, sed ob qualitates contrarias.

*Quomodo Substãtiis nihil sit contrarium.*

*Ad Arg.*

*Ad Argum. II.*

Major planè eſt nulla. Citiùs enim ſuperare licet hoſtẽ unum, quàm duos, & imbellem, quàm fortem. Non poſſunt ergò illæ formæ in quibus major eſt contrarietas, ſe citius cæteris perimere, & Elemẽta aſymbola ocyus ſymbolicis inter ſe tranſmutari, obReactionem, quia utraq; formarum ſe armat & viriliter eſſe ſuum defendit. Tota enim natura ab interitu abhorret. Semper igitur talis transmutatio Ariſtotelicis fundatur in exceſſu agentis, unde & Canon: *Omnis actio eſt à proportione majoris inæqualitatis.* Sicut aliàs in duello, fortior & expeditior citius & felicius ſuperare poteſt debilem & incautum, æqualem verò, & ſibi nec fortitudine, nec velocitate, nec felicitate ſecundũ, vix ac ne vix quidem ſuperare valebit.

*Ne Hercules adverſus duos.*

*Ad Argum. III.*

1. Pro Ariſtotelicis, quoad formarũ expulſionem, dici poteſt, Adverſarium opponere non opponenda. Vult enim Elementa tranſmutari per mutuam cõverſionem, non per formarum expulſionem. Ubi facilè reſpondebunt Ari-

ſtotelici, iſtam converſionem fieri non poſſe, ſine formarum expulſione, proindeq; Majorem eſſe falſam. Præſente enim formâ aquæ, ex aquâ non generabitur aër, & præſente formâ aeris ex eo non generabitur ignis. Fruſtraneum ergò eſt, elementorum converſionem, formarum opponere expulſioni, cùm illa hanc includat. 2. Pro noſtrâ ſententiâ, quoad formarum propagationem, reſpondemus, cùm Elementa planè non transmutentur, etiam non opus habebunt tali propagatione. Sublatâ enim re, tollitur etiam modus. Hoc tamen dictitat natura, ignem noſtrum nonnulla comburere, ob præſentiam ſulphuris, in quo ſeſe multiplicat, iſtum verò combuſſiſſe unquam vel aerem, vel aquam, vel terram, affirmanti incumbit probandum.

*Ad Argum. IV.*

Major eſt nulla. Quoad expulſionē reſpondent Ariſtotelici, priorem formam expelli non poſſe, niſi indiſpoſitione ſubjecti introductâ, quæ indiſpoſitio eſt quædam ad recipiendam alterius elementi formam diſpoſitio. Sic

ex

ex aquâ, ajunt, non fit aer, nisi ea prius indisposita & ad propriam suam formam inhabilis reddatur, quo facto etiam habilitas & dispositio ad recipiendam aeris formam facta fuit. Quoad propagationem dicimus 1. Unum Elementum non propagari ab alio, siquidem omnis propagatio est inter easdem species. 2. Formas quæ per propagationem se multiplicant, non transire in materiam indispositam, nec animam canis per semen sese multiplicantem, in indispositâ esse materiâ, cum in semine est, ut refert Adversarius. Organizatio illa non est dispositio, ob quā anima inest corpori, ut dictum probatumq; suprà.

*Ad Argum. V.*

Adversarius confundit diversas generationis species. Generatio enim *Elementorum* & generatio *Mistorum*, sunt Aristotelicis distinctissimæ generationis species, & longè aliter iis generantur Elementa, quàm Mixta, & hæc, quàm illa. Idem est ac si dicerem: Si mista fiunt per miscibilium unionem, reddatur ratio, quomodo fiat ignis, aut aer.

De gemmis, lapidibus, & metallis, quæ profert, ſuprà refutata ſunt. Seminale enim principium iſtis denegandum non eſt.

## Pentas Decima Sexta.

*Argum. I.*

Quicunq; formas miſti oriri docet coalitu formarum Elementarium, in novam novæ formæ conſtitutionem conſpirantium, mixto gradus & partes tribuentium, ille formarum propagationem ſine contradictione defendere nequit. Clariſs. Dn. Sennertus formas miſti oriri docet coalitu formarum Elementarium in novam novæ formæ cõſtitutionem conſpirantium, mixto gradus & partes tribuentium. Ergò Dn. Sennertus formarum propagationem ſine contradictione defendere nequit. Minor habetur in Epit. Phyſ.

*Argum. II.*

Quicquid per ſe indiviſibile eſt, id nec gradus, nec intenſiones conſtituit, nec in partes primò dividitur, neq; eaſdem conſtituit, nec ex iisdem diviſis coaleſcere poteſt. Formæ elementorum per ſe indiviſibiles ſunt. Ergò nec gradus

dus, nec intenſiones conſtituunt, nec in partes primò dividuntur, neque eaſdem conſtituunt, neque ex iisdem diviſis coaleſcere poſſunt: & p. c. ex iis non componitur forma miſti.

*Argum. III.*

Quæcunque formæ in novam miſti formam conſuuntur, coaleſcunt, & uniuntur, illæ prima ſua corpora neceſſariò ſic deſerunt, ut ſine illis ſeorſim in materiâ horum corporum aliter diſpoſitâ tanquam ſubjecto convenienti per ſe primò miſceri poſſint. Formæ Elementares prima ſua corpora non deſerunt, nec ſine illis in materiâ certâ per ſe primò miſceri poſſunt. Ergò formæ Elementares in novam miſti formam non conſuuntur, coaleſcunt, & uniuntur. Major probatur, quia impoſſibile eſt, formas priſtinum munus & ſtatum ſervare & ſimul ſeorſim ad novam formam miſceri. Vel enim miſcentur formæ, quatenꝰ inhærent & permanent in Elementis, vel quatenus excedunt & tranſeunt ad miſcellam talem, ex qua nova oriatur forma. Si illud, una particula formæ informabit Elementũ, quod

quod in mifto integrè manet, & fimul ipfum miftum, Elementaq; fecundum idem & ad idem erunt materia & forma mifti. Ergò excedunt & tranfeunt.

*Argum. IV.*

Si nihil eft in compofito, quod non prius fuerit in aliquo fimplici, formæ miftorum è formarum Elementarium coalitu natæ non funt. Sed prius eft, teftante Scaligero & Clarifs. Sennerto, Ergò & pofterius.

*Argum. V.*

Quicunq; fibi parùm conftat, illius fententia acceptanda non eft. Clarifs. Sennertus fibi parum conftat. Ergò illius fententia acceptanda non eft. Minor probatur, quia Libr. 3. Epit. Scient. Natur. cap. 3. caufam generationis mifti adfcribit Elementis eorundemque qualitatibus: fed in Libr. de Chym. cum Galen. Conf. & Diff. cap. 12. mifti generationem non ex pugnâ Elementorum, fed ab animâ oriri, & miftum ut miftum primò ab animâ generaria, b eaq; informari, ftatuit. Sennerto itaq; miftum quà miftum modò generatur ab animâ, modò ab Elementaribus qualitatibus.

Et ta-

Et tamen generationem misti & inanimati corporis, ab animâ, beneficio caloris & spiritus nativi fieri, hactenus sanæ philosophiæ ignoratum fuit, nemoque sanus credidit, vel persuadere induxit.

## Adversarij Verba.

### THESIS L.

*Res tota luculentiùs ex consideratione generationis misti apparebit. Clariss. Sennertus ipse, non ex propagatione formæ de misto in mistum, uti ex cane in canem, sed coalitu formarum elementarium in novam novæ formæ constitutionem conspirantium, mixto gradus & partes tribuentium, formas misti oriri docet in physico suo libro. Sed hæc opinio si ad lydium lapidem revocetur, nullas etiam non importat difficultates. Omne quod per se indivisibile est, id nec gradus nec intensiones constituere, nec in partes primò dividi, neque easdem constituere, neq; ex iisdem divisis coalescere potest, quod fieri necessum foret, si ex formis elementorum componeretur forma misti. Quandoquidem mistio fit per tenuissimam partium debitè alteratarum juxta positionem & unionem; in qua tamen quodlibet Elementum*

*eum suam retinet formam, ita domitam ut materiæ vicem sub alterius dominio gerat; juxta Scalig. Atqui illæ elementorum formæ, ut in novam misti formam consuantur, coalescant, & uniantur, necessum esset prima sua corpora sic deserere, ut sine illis seorsim in materia horum corporum aliter disposita tanquam subjecto convenienti per se primò misceri possint. Impossibile siquidem est, formas suæ materiæ informantes seu elementares permanere, eoq; munere & statione servato, simul seorsim misceri ad formam novam. Vel enim miscentur formæ, quatenus inhærent & permanent in elementis, vel quatenus excedunt & transeunt ad miscellam talem, ex quâ nova oriatur forma. Si illud, una particula formæ informabit Elementum, quod in misto integrè manet & simul ipsum mistum. Et uti Elementa in misto materiæ vicem gerunt, ita erunt secundum idem & ad idem materia & forma mixti. Verùm Elementares formæ ut coalescant in formam novi & diversæ naturæ misti, eamq; constituant, necessum est informationē materiæ elementaris deserere, & transire ad informationem novi misti, quod impossibile, siquidem propria hujus forma permanere, & simul ad constituendam alterius rei concurre-*

*currere nequeunt: quo ipso etiam res diversissima natura existerent sub unius generis formis.*

## Thesis LI.

*At quid reponet Scaliger concludenti, nihil esse in composito, quod non prius fuerit in aliquo simplici: omnes mistorum vires ad elementa referri non posse, cum nihil agat ultra virtutem suæ speciei, quocirca formas harum opifices & actores, ex elementorum coalitu non esse natas consectarium demonstrativum est. Nihil foret in mistis quod elementorum conditionem excederet. Unde igitur tractio magnetica vires gemmarum aliorumq; mistorum: ut res se habet in operari ita & in esse, differuntq; operationibus propter essentias. Reflectat ad illa quæ Sennert. ex Scal. mihi objicit in institut. suarum med. lib.2. p 1.C.4.fol.152. Omnem formam cujuscunq; perfecte misti, etiamsi non est anima, ut in adamante, naturam esse quintã, longè aliam à quatuor elementis: & ibidem ex eodem profert: nihil est in quapiam re, quod non fuerit actu in suis principiis. Principia namq; sunt actus eorum quorum sunt principia; & alibi, qui omnia referunt ad elementa nihil sunt præter Elementa.*

*Hic*

*Hic amplectitur sententiam Scaligeri, in physicis longè ab eadem divertit. Procul dubio autem respondebit, quod alibi videlicet in libro de Gal, cum Chym. conf & diff. cap. 12. fol. 358. scribit, duplicem esse misti formam aliam quà mistum, aliã quà species misti est: de quo videbimus cum primùm dispexerimus, quomodo in doctrina de generatione misti sibi constet lib. 3. Epitomes scient. natural. cap. 3. fol. 235. Causam generationis misti ipsamq; mistionem adeò adscribit elementis eorundemq; qualitatibus, ut ex horum coalitu formas misti oriri asserat, forte Zabarellam secutus. Ejus citato loco hæc sunt verba. Generatio misti & mutatio substantialis; facta à duabus qualitatibus activis, agentibus in duas passivas, tanquam materiam subjectam, iisq; dominantibus ea proportione, quæ ad cujusq; misti formam educendam necessaria est. Et ibidem: Misti generationem & præviam ad formam alterationem à calore per se primariò proficisci. Et misti generationem in mistione, & mistionem in misti generatione contineri, ex quibus uti & proximè præcedenti capite ejusdem libri liquidißimè patet elementarium qualitatũ virtuti soli mistionem & misti generationem adscribi, ubi ait:*

*Causa*

*Causa efficiens mistionis generalis est cœlum, proxima est actio duarum qualitatum.*

THESIS LII.

*Verum enimverò quantum mutatus ab illo in libr. de Chym. cum Galen. cons. & diss. cap. 12 fol. 252. ubi longè aliam generationis misti rationem sic scribit. Non ex mutuâ pugna elementorum res crescunt. Item, in rerum generatione specifica forma requiritur, quam elementorum concursus & mistio illa temeraria præstare non potest. Forma igitur & anima, cujusq; rei architecta est: Et primus motor in mistione est anima ac forma cujusq; rei* Δημιουργὸς *communis, & commune naturæ instrumentum quoad virtutes rerum fovendas utitur, calor est & spiritus cujusq; rei insitus &* φύσις *illa* διὰ πάντων διήκουσα. *Habet nimirum anima suas facultates ministras, attractricem, quæ sibi utilia & similia attrahit, retentricem concoctricem & alteratricem, quæ attracta sibi similia reddit, secretricem & expultricem, quæ id quòd alienum est separat & ejicit. Eaq; omnia caloris & nativi spiritus beneficio peragit. His directoribus elementa pro cujuscunq; rei naturâ miscentur, quæ aliàs suo concursu & pugna nunquàm tale*

*mistum producerent. Hactenus Clariss. Sennertus. Ex quibus apparet ipsi mistionem fieri, mistumq; generari ab anima propagata ex speciei similis misto, quemadmodum ea ex semine fabricat corpus animalis & animatum. Unde sequentia ducuntur inconvenientia; Quod omnia mista sint animata, siquidem nulla generentur nisi ab anima, ubi anima ibi vita: vivunt itaq; omnia mista uti lapides, metalla, aliaq; pro inanimatis habita, cum à totâ antiquitate, tùm ab ipso Clariss. Sennerto eodem libr. de Chym. cum Galen. cons. & diss. fol. 232. ubi lapides & gemmas nec vivere nec animata esse concedit. Liquidò autem satis patet Sennertum hic statuere mistum ut mistum generari ab anima, ab eaq; perfici mistionē beneficio caloris nativi, quo attrahit, retinet, coquit, format: eandem porrò animam, quæ sui domicilij architecta, materiam sic præparatam informare, atque hoc pacto misti generationem perfici, cum tamen superiùs loco citato purè & primò elementarium qualitatum operationi mistionem adsignasset, formam misti ex elementarium formarum coalitu eduxisset & misto jam formato animam supervenire dixisset. Nec est quod effugium quærat in duplici misti forma, quarum alia*

*si[...]*

*sit specifica, alia misti, quia mistum qua mistum, primò ab anima generari ab eaq; informari docuit. A quo generatio ab eodem juxta Scalig. & Sennertum fit informatio, anima videlicet fabricante ex materia sibi corpus idemq; informante Quod si ipsi concedatur formam misti ex elementarium formarum coalitu natam in misto quatenus mistum est, manere, nihilominus causa naufragium perpetitur, quod ante docuerit omnes formas prima creatione singulis rebus inditas, per propagationem suiq; multiplicationem in res diffundi, non verò ex aliarum coalitu fieri, aut ex materiæ potentia exsurgere. Forma specifica misti est ipsamet anima, nullum mistum est animatum, careret proinde forma specifica. Imò forma vel anima generans mistum erit in Elementis siquidem mistum ex iisdem generetur, & erit in iis ut anima canis in semine canis à canina divisa, vel uti arboris in surculo. Erit autem in illis ante vel post mistionem, nō ante, quia in nullo seorsum, non post, quia est mistionis auctor. Sed ipsi in mente & arbitrio est, omne mistum generari à suæ speciei misto, uti canis à cane, & homo ab homine, & nullum primò ex Elementorum coalitu exsurgere aut à causis æquivocis produci.*

*Sed & hoc asserere ipsi non convenit, qui gemmas, aliaq; ibi generari, ubi nulla eju rei species antè fuerit vel observata vel in venta & prorsus eruta. & postea ibidem re nata, constat, quod nec ipse it negatum. Generationem misti & inanimati corporis, fieri ab anima, beneficio caloris & spiritus nativi, qui viventium proprius est, hactenu sanæ philosophiæ ignoratum, siquidem mistum qua tale, nec vitale, nec calore emphy to, qualis animatorum, spirituq; vitali præditum, non ex dissimilaribus uti animatum corpus; sed similaribus compositum, elementorum syncrisi per calorem elementarem facta & conservata sub peculiaris formæ su naturæ convenienti dominio contentum est. Sennerto itaq; mistum quà mistum modò generatur ab anima, modò ab elementaribus qualitatibus. Anima destitutorum mistorum generationem esse ab anima nemo sanæ hactenus credidit, vel persuadere induxit.*

## Responsio Generalis.

### *Adversarii tela Clariss. Dn. Sennertum non feriunt.*

Ἔκθεσις.

Transeat, quod Adversarius generationem Elementorum declarare labo

ret per generationem mistorũ. Transeant etiam quæ è superioribus nota esse queunt. Formas non *intendi & remitti*, indeq́, mistum non coalescere, & mistionem per *corporum minimorum juxta positionem & unionem* ad mentem Scaligeri fieri, & *Elementares qualitates mista non facere*, contra *Clariß. Dn. Sennertum* Adversarius probare conatur. Verùm contra nonnullos *Aristotelicos* hæc proferuntur, non contra *Dn. Sennertum*, qui licet in Physicis cum Aristotelicis loquatur, tamen ibi scopum unum habuit propositum, doctrinam Aristotelicam maximam partem compendiosè exhibere. Hinc longè aliter de multis in *Libr. de Chym. cum Aristot. & Galen. Cons. ac Diss.* docet, è quo de mente istius certior esse poterat Adversarius. Nam I. de Controversiâ, *an formæ Elementorum in mistis sint integræ, an remissæ*, Cap. 11 p.m.152. ita ait: *Est quæstio valdè intricata & difficilis, ut nemo, qui in hac ab alio dissentit neq; statim id quod in quæstione est, fundamenti loco præsupponi concedit, conviciis impetendus aut Physicis ad unum omnibus contradicere dicendus sit. Dissentiunt enim, si ullibi hic inter se Physici. Acutissi-*

*An formæ Elementorum in mistis sint integræ, an remissæ*

*tißimi certè Philosophi hic hærent, atque inter eos Jul. Cæs. Scaliger Exerc. 101. fatetur, se non facilè dicere posse, utram sententiam magis probet, in hac humanâ caligine. Itaq; quemlibet in re dubia suo abundare sensu permitto. Ut tamen meam sententiam liberè aperiam, re hinc inde diligenter pensitatâ, cum iis jam facio, qui elementa secundum formas integra in misto remanere, ac, dum mistum in elementa resolvitur, elementa redire non specie tantùm, sed numero etiam eadem statuunt, atque in istâ sententiâ persisto, donec solidis rationibus contrarium monstratum fuerit. Solis verò autoritatibus vel Scoti, vel alius alicujus me moveri non patior. Neque enim unius Scoti, qui in suam sententiam, quam non sine causâ Fernel. lib. Physiol. cap. 6. puerilem, ferè inanem & portentißimam nominat, Latinos plerosq;, dum Veterum Philosophorum disciplinam, permistionisq; rationem assequi minimè voluerunt, ut idem Fernelius loquitur, pertraxit, autoritate standum vel cadendum mihi existimo. Etiam docti viri fuerunt Philoponus, Albertus, Zimara, Avicennas, Fernelius, qui contrarium sentiunt & acriter defendunt, ita quidem ut nonnulli ex iis scribant, eum qui ipsorum argumenta leget, nisi molaris*

*lapis*

*lapis sit, manus daturum: & qui aliter sentiunt, sophistas agere, naturæ operibus imponere, veteris disciplinæ splendorem obterere & inquinare. Non equidem ignoro, sed eorum opinionem olim in Physicis secutus sum, Averroen & Zabarellam, cum negare non possent, elementa in mistis remanere, ne verò integra remanere statuerent (cujus tamen rei nullam causam evidentem habuerunt) ad formarum refractionem confugisse. Verùm refractio illa formarum merum figmentum est, ut à Latinis contra Averrois sententiam disputantibus satis monstratum est; neque ullam Averroes & Zabarella pro ista sententia rationem saltem probabilem afferre, & monstrare potuerunt, formas elementorum recipere magis & minus, & gradus aliquos habere ut aliqui tolli possint, reliquis manentibus, sed simpliciter saltem illud affirmarunt.* Videt ergò hîc Adversarius, quamnám formarum intensionem & remissionem defendat *Excellentiss. Dn. Sennertus.* II. De Scaligerianâ Mistionis descriptione: *Cap. 12. p. m. 210.* sic habet: *Ego, ut Scaligeri verbis, Exerc. 101. utar, si cogor effari, quod in hac humanâ caligine sese offert mihi, fateor, me jam vinci à sententiâ Scaligeri, qui*

*An Mistionis Definitione Scaligerianâ acceptet Dn. Sennertus, an secus.*

*qui miſtionem definit motum corporum mi nimorum ad mutuum contactum ut fiat u nio.* III. De miſti productione pe qualitates Elementares, ipſe Adverſa rius locum ſat clarum è *Cap. 12. Conſ. a Diſſ. p. m. 207.* allegavit. Nihil ergò ha vice adfert contra *Dn. D. Sennertum*, li cet benè multa contra Ariſtotelem & nonnullos Ariſtotelicorum. Putaban tamen Adverſarium Ariſtotelem for defenſurum & propugnaturum, no offenſurum & oppugnaturum. Sed for ſan in gratiam *Dn. Sennerti* hoc facit qui ſi (in Phyſicis) contra Ariſtotelen fuiſſet, Adverſarius pro Ariſtotele ſcri pſiſſet, ſed cum ille cum Ariſtotele & fuerit & ſcripſerit, Adverſarii contr Ariſtotelem & eſſe & ſcribere fuit. Ju ta illud: *Semper contrarius eſto.*

*An Miſtū per qualitates Elementares produci, ſtatuat D. Sennertus*

## Reſponſiones Speciales.

### *Ad Argum. I.*

Minor eſt nulla. Contrarium illiu ut dictum, è *Libr. de Chym. cum Ariſt. & Galen. Conſenſ. ac Diſſ. cap. 11. p. m. 152. ſe* patet. Probatio Adverſarii huc non ſp ctat. Judicandum enim è cogitation

bu

bus posterioribus, non prioribus. *αἱ δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι. Eurip.*

*Ad Argum. II.*

Concedimus Argumentum totum. Idem docet *Clariss. Dn. Sennertus* loco modo citato.

*Ad Argum. III.*

Conceditur totum. Transigat Adversarius cum *Zabarellâ*, quem suprà loco normæ & mensuræ Controversiarum Physicarum attulit.

*Ad Argum. IV.*

Etiam hoc argumentum contra *Dn. Sennertum* non est. Videantur *Cap. 11. & 12. Libr. de Chym. cum Arist. & Galen. Cons. ac Diss.*

*Ad Argum V.*

1. Si veritati cedere, & cogitationes posteriores ac sapientiores absq; invidiâ veritatis amatoribus communicare, sibi parùm constare, est, Major negatur. Invertenda potius erit hoc pacto: *Quicunq; sibi constat, hoc est, præconceptas opiniones contra veritatem pertinaciter defendit, illius sententia acceptanda non est; & contrà qui sibi non constat, hoc est, se hominem esse, & proinde ex aliis Autoribus errorem* (error si planctus esset, *An qui sibi constat protinus audiendus.*

 om-

omnium ædes perſonarent ejulatu) *derivare potuiſſe agnoſcit, veritati cedit, & poſteriores cogitationes prioribus ſapientiores reddit, ille utiq; & audiendus & in exemplum trahendus eſt. At de Dn. Sennerto ſtat prius. Ergò etiam poſterius.* Ad poſteriores ergò cogitationes ſeſe cõvertere debuiſſet Adverſarius, non ad priores. 2. Si autem τὸ ſibi conſtare ſumitur, prout ſonat & communiter accipi ſolet, nec illius qui ſibi parùm conſtat, nec iſtius qui ſibi multùm conſtat, ſententia acceptanda eſt. Veritas enim non à noſtro pendet arbitrio aut ludibrio, ſed à rebus, cum quibus ſententiæ concordantes acceptandæ, diſcordantes repudiandæ, veniunt. 3. Falſum eſt, *Excellentiſſ. Dn. Sennertum*, miſtum ut miſtum ab animâ fieri, ſtatuere. Benè novit, etiam *Dn. Freitagio* non monente, non quamlibet cujuslibet miſti formam animam eſſe, ut mirum ſit, cur hîc tantâ verborum ſerie contra ipſum inſurgere non erubeſcat Adverſarius. Si reſpicit ad illa verba: *Forma & anima cujusq; rei architecta eſt: & primus motor in miſtione eſt anima ac forma cujusq; rei* neſcio an Copulativam differre à Disjuncti

*An omne miſtum fiat ab animâ.*

junctivâ intelligat, an secus. Annón distinctè nominare voluit cùm animā, tùm formam? Omnis quidem anima, etiam est forma: sed non omnis forma est anima. Cadunt ergò omnia illa inconvenientia, inconvenientissimè & confusissimè ab Adversario adducta. Et si porrò in adpositis illis prolixis thesibus quid latitat, id in superioribus abundè refutatum fuit. Quæ enim profert, unius fermè sunt valoris, tenoris.

PENTAS DECIMA SEPTIMA.

*Argum. I.*

Quicunq; deserunt materiæ potentiam, illi nullam dare possunt formæ misti originem, & ex naturæ theatro eliminant generationem. Clariss. Dn. Sennertus deserit materiæ potentiam. Ergò nullam dare potest formæ misti originem, & ex naturæ theatro eliminat generationem. Major probatur, quia forma illa nec à cœlo defluit aut inducitur, nec fit per expulsionem alterius, nec fit per propagationem formæ ex generante, quia ex lapide lapidem, aut ex gemmâ gemmam natam nullus observavit.

*Arg.*

*Argum. II.*

Quæcunq; formæ sat commodè ex Elementis & Elementatis remiſtis deducuntur, illæ fruſtrà ex coalitu formarum Elementarium fieri ſtatuuntur. Formæ miſtorum, quales ſunt in magnete, gemmis, & metallis, ſat commodè ex Elementis & Elementatis remiſtis deducuntur. Ergò fruſtrà ex coalitu formarum Elementarium fieri ſtatuuntur.

*Argum. III.*

Si à creatore ſemina omnia ex quibus res naſcuntur & propagantur non fuerunt creata, fruſtrà ad primævam hanc creationem recurrit Clariſs. Sennertus. Sed à creatore ſemina omnia, ex quibus res naſcuntur & propagantur, non fuerunt creata. Ergò fruſtrà ad primævam hanc creationem recurrit Clariſs. Sennertus. Minor probatur, quia ſi Deus omnia concreaſſet ſemina, nulla equidem de novo generarentur prioribus conſumptis, neque animalibus fuiſſet opus inſtrumentis peculiaribus ad eorum generationem. Concreavit ergò Deus ſaltem viventibus virtutem generandi ſemina, quâ his excretis

cretis, depositis & excussis, ad specie-tum propagationem nova generentur.

*Argum. IV.*

Quicunq; Mosen frustrà & sensu valdè alieno allegat, is audiendus non est. Clariss. Sennertus Mosen frustrà & sensu valdè alieno allegat. Ergò audiendus non est. Minor probatur, quia illa Mosis: Germinet terra herbam producentem semen, arborem fructiferam facientem fructus juxta speciem: contra eum potius faciunt, quod ex terrà hominem ipsum omnipotenti verbo (ipse dixit & facta sunt) fecerit, & herbam ex terrâ & semen ex herbâ de terrâ factâ fieri voluerit. Imò patet ex his clarè, facultatem producendi semen terræ primâ isthac creatione inditam fuisse.

*Argum. V.*

Si generatio fit, cum semen generatur, sequitur semen non esse causam Efficientem generationis, ut vult Clar. Sennertus. Sed generatio fit, cum semen generatur. Ergò semen non est causa Efficiens generationis, ut vult Clariss. Sennertus. Major probatur, quia

quia propter formam quam semen cõtinet generatio facta est, non autem demum à semine fieri debet. Cum ergò semen non largiatur formam rei, sed solummodò contineat, & illa sit propriè causa efficiens principalis quæ formam producit, ipsaq; corporis fabricatio non sit generatio, sed imperfecti saltem corporis perfectio, sequitur vim generandi principalem non sine gravi errore semini, quatenus semen, attribui à D. Sennerto. Et quamvis instet, semini non posse partes generantis instrumentarij duntàxat tribui, quia generans à quo semen communicatum, vel longè abesse, vel periisse potest: tamen nihil est. Quasi enim generans formam rei, juxta peculiarem illius sensum, aut potentiam ad formam cum semine nõ communicasset; quæ actio Scaligero & philosophis generatio nuncupatur. Minorem habet Scaliger Exerc. 6. n. 10.

## Adversarij Verba.

### Thesis LIII.

*Cæterùm nolo hîc movere, an necessum sit in misto plures quàm unam esse formam,*

*actibus-*

*actibusne duobus substantialibus necessario substet, & num specifica recedente, sub misti forma subsistere & existere debeat vel possit, an specifica sola mistis in animatis non sufficiat quod concedere videtur in tractatu de Chym. cum Galen. Cons. & Dissens. cap. 12. fol. 357.*

THESIS LIV.

*Ad misti proinde generationem cœlestium corporum virtute excitantur & miscentur elementa invicem se suis qualitatibus alterantia & in unionem colligantia ut producatur res cujus natura ab Elementis sit diversa.*

*Miscentur enim res ad acquirendam formam elementis nobiliorem quocirca non facit natura ex coalitu formarum elementarium formam misti; sed vel aliam educit è subjecto, vel inducit præstantiorem. Hæc autem forma nec à cœlo defluit aut inducitur, nec fit per expulsionem alterius (qualiter ex aere ignis) nec per propagationem formæ ex generante, qualiter anima canis per semen ipsis propagari fertur. Generatur mistum omne inanimatū ab efficiente æquivocè agente, nec enim ex lapide lapidem, aut ex gemma gemmam natam quisquam observavit. Unde igitur oritur forma? si potentiam*

*tiam materiæ deseras, ex nihilo illam creari asserendum, quo ipso rerum per generationem propagatio, quæ est secunda creatio, ex hoc naturæ theatro eliminatur.*

THESIS LV.

*Forma itaq; misti non ex Elementaribus formis, sed ex Elementis in unum corpus mistione coalescentibus, tanquam è potentiâ materiæ naturæ naturantis beneficio educitur.*

THESIS LVI.

*Hoc pacto ex Elementis & Elementatis remistis, nobilissimæ etiam inanimatarum rerum formæ, qualis in magnete, gemmis & metallis quibusdam, aliisq; mistis inanimatis producuntur. Nec enim refellendis istis nugis teremus tempus; quibus somniant durissimis istis, nec nutritione nec vegetatione perfructis nec generationem meditantibus aut potentibus seminalem vim inesse vel revera vel analogicè. Rectius scholæ Medicæ consultum foret si tales affaniæ junioribus haut instillarentur. Sed quis phœbus has animorum intemperies delineat, qui pro opinionibus præconceptis & semel adstructis, quamvis falsis, plus quam religione & vita dimicent? de hac porrò quæstione altera disputatione de rerum principiis accuratiùs agemus.*

## THESIS LVII.

*Tempestivum nunc est, inquirere an semina omnia ex quibus res nascuntur & propagantur, num vero facultas generandi semina, quæ est animæ vegetativæ virtus, à creatore rebus sit concreata aut indita. Si omnia concreasset semina, nulla equidem de novo generarentur prioribus consumptis, neq; animalibus fuisset opus instrumentis peculiaribus ad eorum [illegible]erationem. Uti itaq; Deus ter Opt. Max. ab initio creavit hominem vivum, omnibus partibus integrum, & in eo Cor, Venas, arteriasq; spiritu & sanguine, cerebrum nervosq; spiritu, testes & vasa seminaria semine redundantia, imò arbores stirpesq; plenas fructibus; ita quoq; maximè indidit vim hæc contenta conservãdi & procreãdi, quod sint in fluxu perpetuo, & transitoria. Atq; ut concreavit facultatem generandi chylum, chymum, sanguinem, quibus substantia corporis in perenni fluore constituta resarciatur & conservetur; sic quoq; cõcreavit virtutem generandi semina viventibus, quà his excretis depositis & excussis ad specierum propagationem nova generentur. Proinde frustrà & sensu valdè alieno illud Mosis allegatur à D. Sennerto: Germinet terra herbam producentem semen, arbo-*

 rem

*rem fructiferam facientem fructus ju[...]
speciem: hac enim contra illum potius f[...]
unt, quod ex terra hominem ipsum omn[...]
tenti verbo (ipse dixit & facta sunt) fe[...]
rit, & herbam ex terra & semen ex he[...]
de terra facta fieri voluerit. Ex his prat[...]
eà verbis Germinet terra herbam produc[...]
tem semen, clare patet, facultatem pro[...]
cendi semen ipsi prima ist hac creatione in[...]
tam: vide disputationem de rer: princip[...]
Virtute testium ex sanguine & spiritibus [...]
venas arterias & nervos, copiose eo dela[...]
generatur semen, ideo albicans, quod om[...]
alterans assimilet sibi alteratum qualit[...]
vel substantia, Et generatur ibidem uti s[...]
guis in Epate & lac in mammis ex mate[...]
sanguinis & spirituum, quorum hi ex tenu[...]
re sanguinis portione & attracto aere, [...]
ex chylo, chylus ex cibis, cibi ex Elemen[...]
Quandoquidem verò semen à generante [...]
peratur, in animalibus ex cibo, chylo, sang[...]
ne, in plantis ex allecti alimenti superflu[...]
te, generatio fit quia generans producit [...]
men, uti & subtiliss. Scaliger docet, tunc f[...]
generationem cum generatur semen Exer[...]
n. 10. Generat (inquit) arbor cum produ[...]
semen, non autem generatur arbor cum p[...]
lulat è semine, sed generatum quod erat [...]
perfectum perficitur. Sic canis non gig[...]*

C

*cum nascitur catellus, sed cum semen gignit. Ex quo necessario sequitur, semen nō esse causam efficientem generationis primariam sed instrumentalem. In semine enim non est vis generandi formam, sed juxta eorum opinionem, in eo tanquam subjecto ab efficiēte forma divisa & participata propagatur. Proinde illud quod formam rei producit, vere est causa principalis generationis, quia per illam res perficitur, & potissima rei est essentia. Forma non efficitur à semine, sed vel ex ejus potentia educitur, vel juxta illorum opinionem ab efficientis anima formavè deducitur: quæ forma divisa cum seminali materia communicatur & unitur Scaligero, quem D. Sennertus hic sequitur, & generatio fieri dicitur. Forma hæc juxta Scaligerum ex semine instrumento caloris & spirituum attracto sanguine format corpus. Hanc formationem ipse, imperfecti corporis perfectionē non generationem nominat. Forma illa formans & informans est forma animalis, quia semen actu est animal (juxta eundem) imperfectum, propter formam animalis quam continet in imperfecto corpore. Nihil igitur in semine est quod ad operandum concurrit quàm calor & spiritus, quæ sunt instrumenta animæ formantis pariter à generante*

 *seu*

*seu efficiente primario profecta cum forma. Cum itaq; semen non largiatur formam rei sed solummodò contineat, & illa sit propriè causa efficiens principalis, quæ formam producit, ipsaq; corporis fabricatio non sit generatio, sed imperfecti saltem corporis perfectio, sequitur vim generandi principalem, non sine gravi errore semini quatenus semen attribui a D. Sennerto. libr. de Galen. cum Chym. cons. & diss. cap. 9. Generatio enim fit cum semen formam rei nascentis actu vel potentia continens producitur ab efficiente, non cum id quod formam actu vel potentia continet secundum partes sui corporis conformatur. Generatio siquidem est formæ productio non corporis constructio. Quo jacto fundamento instantiæ Sennertianæ loco citato adductæ facilè diluuntur, & opinionis, quâ asseritur, rerum generationem perpetuari virtute seminum innata ab exordio rerum, eaq; primas & principales esse generationis causas, patescit vanitas. Et cedo, quæ hæc est argumentatio quam allegato profert loco? Semini non possunt partes generantis instrumentarij duntaxat tribui, quia generans, à quo semen communicatum vel longè abesse, vel periisse potest, quasi generans formam rei, juxta peculiarem illorum sensum,*

*an*

*aut potentiam ad formam cum ſemine non communicaſſet; quæ actio Scaligero & philoſophis generatio nuncupatur.*

## Reſponſiones Generales.

### *I. Sive moveat, ſive movere nolit Adverſarius, an plures formæ ſint in miſto, & an recedente formâ ſpecificâ cæteræ remaneant; nihilominus in rei veritate ſe res aliter non habet.*

Ἔκθεσις.

Sive moveat, ſive non moveat, & ſive ſibi metuat, ſive non metuat Adverſarius, tamen miſtum conſtare pluribus formis probatu facilimum eſt, quia id (1.) *qualitatum præſentia*, (2.) *miſtionis natura*, & (3.) *reſolutionis ratio*, manifeſtè demonſtrant. Quoad qualitatum præſentiam ſic argumentor: *Ubicunq; præſentes ſunt qualitates Elementares, ibi etiam præſentes ſunt formæ Elementares. In miſto præſentes ſunt qualitates Elementares. Ergò in miſto etiam præſentes ſunt formæ Elementares.* Major certa eſt, quia qua-

*Miſtum conſtare pluribus formis.*

*Argum. I.*

litates illæ à formis emanant. Minorem Experientia docet, quæ nunc frigiditatem, nunc siccitatem, nunc caliditatem, nunc humiditatem, nunc gravitatem, nunc levitatem, nunc qualitates alias, in aliis atque aliis mistis ostendit. Quoad mistionis naturam sic colligo:

Argũ. II. *Quæcunq; miscentur, illa non abolentur. Elementa miscentur. Ergò non abolentur.* Porrò: *Si Elementa in misto non abolentur, etiam eorum formæ in eo non abolentur. Sed verum est prius. Ergò & posterius.* Ratio consequentiæ est, quia Elementa sine suis formis manere nequeunt, cùm formæ faciant ut Elementa sint Elemẽta. Quoad resolutionis rationem stat

Argũ. III. Syllogismus sequens: *Quicquid per corruptionem in Elementa resolvitur, illud Elementa in se habuit. Mistum per corruptionem in Elementa resolvitur. Ergò Mistum Elementa in se habuit.* Hinc: *Quicquid Elementa in se habuit, id etiam Elementorum formas in se habuit. Mistum Elementa in se habuit. Ergò etiam Elementorum formas in se habuit.* Et quemadmodum jam plures hæ formæ in misto sunt, ita quoq; per corruptionem specificâ suppressâ eædem remanent, quod itidem pri-

primum illud argumentum cum tertio manifestè evincit. Sive igitur jam Adversarius *thes. 53.* moveat, sive movere nolit, *an necessum sit in misto plures quàm unam esse formam, actibusnè duobus* (si nō pluribus) *substantialibus necessariò substet, & num specificâ recedente sub misti formâ subsistere & existere debeat vel possit:* tamen in rei veritate res se aliter non habet, ut modò probatum, & jamdudum à sanioribus Physicis concessum fuit. *Formas Elementares factâ misti corruptione permanere.*

## II. *Adversarius subindè petit principium.*

Ἔκθεσις.

Petitio principij est, cœlum sine causæ particularis influxu producere mistum. Petitio principij est, ex Elementorum mistione formas prodire Elementis nobiliores. Petitio principij est, mista inanimata omnia ab efficiente æquivocè agente generari. Petitio principij est, formam misti ex Elementis in unum corpus mistione coalescentibus, tanquam è potentiâ materiæ, naturæ naturantis beneficio educi. Petitio principij est, formam magnetis, gemmarum & metallorum è mistione & remistione Elementorum oriri &c.

## *III. Adversarius terminos usitatos non intelligit & strenuum Calumniatorem agit.*

Ἔκθεσις.

I. Transeat quod more suo formas modo educi, modò induci, scriptitet, atq; sic etiam hos terminos malè usurpet. Propagationem rerum per generationem *Thes.54.* Creationem Secundam vocat: sed longè aliter terminum *Secundæ Creationis* sumunt & Philosophi & Theologi. Cum enim dividunt Creationem in *Primam* seu *Immediatam* & *Secundam* seu *Mediatam*, illam describunt, quâ simpliciter ex nihilo facta sunt cœlum & terra & aqua, totaq; illa rudis & indigesta moles, quam Deus posteà sex diebus in certa corpora ordine pulcherrimo digessit; hanc, quâ res productæ fuerunt ex quadam materiâ præcedente, sed inhabili & indispositâ. Quid ergò nunc terminus Creationis Secundæ ad corporum naturalium generationes? Creanturné hodiè canes, equi, & boves, sicut in primo Hexaemero creabantur? Nec excipere potest, conservationem creaturarum nihil

*Quid Creatio Prima seu Immediata.*

*Quid Creatio Secunda seu Mediata.*

hil aliud esse, quàm continuatam creationem: aliud enim est secunda, aliud continuata creatio, differtq; consensu omnium & conservatio à creatione, & creatio Secunda à creatione Continuatâ. II. Meræ calumniæ sunt, quæ *thesi 56.* his verbis habentur: *Nec enim refellendis istis nugis teremus tempus, quibus somniant durissimis istis, nec nutritione nec vegetatione perfructis nec generationem meditantibus aut potentibus seminalem vim inesse vel revera vel analogicè. Rectius scholæ Medicæ consultum foret si tales affaniæ junioribus haut instillarentur. Sed quis phœbus has animorum intemperies delineat, qui pro opinionibus præconceptis & semel adstructis, quamvis falsis, plus quam religione & vita dimicent? de hac porrò quæstione altera disputatione de rerum principiis accuratius agemus.* Cum bonis benè & comiter agendum, mi Freitagi, non autem ita crudeliter sæviendum, & in Viri de totâ re Medicâ optimè meriti famam debacchandum. Sed sis maneasq; tuus, laus sua, te non obstante, manebit etiam post funera beata (utinam sera!) *Dn. Sennertum*, qui quicquid talenti à Deo concreditum habuit, bo-

nâ fide in ærarium literarium, sine omni invidiâ, contulit. Tu interim Naturam attende, & seminalem vim gemmis, metallis, & lapidibus, adscribere, nugas non esse, facilè prehendes. Nec est, quod duritiem Naturæ conatum impedire putes, cum ad seminum rationem propriam mollities non spectet, nec ab humano aut animalium nonnullorum semine, ad omnia semina argumentari liceat. Ac quamvis non nutriantur, nec vegetentur metalla, nihilominus tamen sese multiplicare valent, sicut & ignis qui itidem non nutritur aut vegetatur, & tamen egregiè sese multiplicat. Et si omnis forma est sui multiplicativa, ut *Zabarell. in Libr. de Sens. ag. cap. 5.* ex *Alberto* refert, cur generationem ad sola traheremus animata, & angustissimis includeremus cancellis, quod cancellari nequit? Quod autem generationem non meditentur metalla, dicitur, sed non probatur. Exhaustæ venæ aluminis, vitrioli, & metallorum, post pauca temporum intervalla metallis ac mineralibus iterum replentur: quod si per propriam formam specificam, in materiâ certâ laten-

*Object. I.* *Respons.* *Obj. II.* *Resp.* *Obj. III.* *Resp.*

ten-

tentem & vim ſeſe multiplicandi habentem, fieri negas, vel accidentia virtute propriâ producere ſubſtantias, vel cauſas univerſales determinatum & ſpecificum gignere effectum, vel ſimile quid, contra principia Philoſophica etiam tyronibus nota, concedere cogeris. Quâ de re ſuprà uberiùs. An autem Scholis Medicis rectius hactenus conſuluerit, & etiamnum conſulat, *Dn. D. Sennertus*, an verò *D. Freitagius*, & uter pro opinionibus præconceptis plus quàm pro aris & focis dimicet, meum non facio ediſſerere. Res ipſa hoc loquitur, & ea quæ manifeſta ſunt demonſtrare velle, ἐ δυναμένȣ κρίνειν ἐστι, τὸ δι' αὐτὸ καὶ μὴ δι' αὐτὸ γνώριμον. *2. Phyſic. cap.1.t.6.* Diſputatio de *Principiis* à te, mi Freitagi, promiſſa, ſuum inveniet Examinatorem, ſi modò digna vel lectione, vel examinatione, vel refutatione fuerit. Utinam in eâ accuratum, ut gloriaris, ageres Diſputatorem! Utinam non pro opinionibus præconceptis, plus quàm pro religione & vitâ, ut loqueris, dimicares! Utinam vel tandem inanes & immanes tuas calumnias ſeponeres! Quid enim hiſcè opus?

Reſp.

*Ad Argum. I.*

*Metalla propagātur.*

I. Major est nulla. Quoad probationem, utiq; formæ illæ fiunt per propagationē & traductionem, gemmæq; à gemmis, metalla à metallis, lapides à lapidibus, similiaq; à similibus generantur. Stant adhuc, & stabunt porrò, sarta & tecta verba *Experientiß. Dn. Sennerti*, qui in *Epit. Phys. Libr. 5. cap. 4.* sic ait: *Ut autem varij lapides & gemmæ generentur, id à specificâ cujusq; formâ proficiscitur. Habet enim quævis gemma propriam & specificam formam, quâ ab aliis omnibus discernitur, quam à seminali, ut sic dicam, sui generis principio nanciscitur. Quæ non ex elementorum misturâ provenit, sed, ut rectè Scaliger nominat, essentia quinta est, à Deo Opt. Max. in primâ rerum creatione huic naturalium rerum generi indita. Quod seminale principium & spiritus architectonicus etsi in peculiariter distincto corpore, ut in plantis plerisq; non apparet, neque etiam ejus essentia satis explicari poßit: idcircò tamen negandum non est. Ut enim salix, etsi semen non gignat, ut aliæ plantæ: tamen principium seminale per totam arborem di-*

*sper-*

*ſperſum habet, & hinc per ramum amputatum propagatur: ita & ſeminale gemmarum ac lapidum principium in materiâ lapidificâ latet; & in hac humanâ mentis caligine ejus eſſentia nobis ignota eſt, ut reliquæ formæ omnes; & non niſi ex facultatum & operationum ac qualitatum diverſitate illarum differentia cognoſcitur.* Si lubet, mi *Freitagi*, paululùm *Anshelmum Boëthium, Lib. 1. de lap. ac gem. Cap. 8. 9. & 10. Jac. Mockium de Cauſ. Concret. & Diſſol.* nec non *Andr. Libavium in Comment. Alchymiæ*, attentiori animo inſpicere non erubeſce, & facilè *Dn. Sennertum*, nec primum, nec ſolum, talia de lapidibus & gemmis propoſuiſſe, animadvertes. Quæ non intelligis, & ob præconceptas opiniones capere nequis, illa tibi nugæ ſunt, forſanq; Nugatores facies *Anshelmum Boëthium, Jac. Mockium, Andr. Libavium, Theophraſtum Ereſium*, aliosq; Viros Clariſſimos & Meritiſſimos. Sic trahit ſua quemq; voluptas, multiq;, ne quid annis prioribus neſciviſſe videantur, errores inveteratos defendere, quàm meliora prehendere, malunt. II. Annon Adverſarius miſti generationem è naturæ theatro, quod *Dn. Sennerto* ſine re obji-

*Adverſarius è naturâ tollit generationem lapidum, gemmarum, aliorumq; miſtorũ.*

objicit, eliminet, judicent candidi & cordati. Thesis enim 55. sic habet: *Forma itaq; misti non ex Elementaribus formis, sed ex Elementis in unum corpus mistione coalescentibus, tanquam è potentiâ materiæ naturæ naturantis beneficio educitur.* Hinc argumentor: *Quicunq; formas misti è potentiâ materiæ naturæ naturantis beneficio educi statuit, ille generationem misti è naturæ theatro eliminat. Adversarius formas misti è potentiâ materiæ naturæ naturantis beneficio educi statuit. Ergò Adversarius generationem misti è naturæ theatro eliminat.* Major sat clara est, quia illa natura Naturans est Deus, qui sanè formam misti nō generat, nullusq; Philosophorum tàm crassus erit, qui Deum generare lapidem aut gemmam statuere ausit. Mistorum ergò formæ è sententia *Freitagij* creantur, non generantur. Ita scilicet cum formis specificis vim sese multiplicandi & propagandi negamus, nolentes-volentes vel ad accidentia,(ad id opus ineptissima) vel ad sidera,(agentia universalissima) vel ad ipsum Deum, (cujus non generare, sed creare est) confugere, & unà cum generante prin-

cipali

cipali proximo ipsam generationem tollere, necessum habemus.

*Ad Argum. II.*

Fuit responsum. Nempè I. *Ubicunq; nobiliores potentiæ & qualitates apparent, quàm quæ ab Elementis proficisci queunt, ibi etiam nobilior est forma, talis scilicet quæ ex nullâ elementorum mistione & remistione fieri potest. In mistis nobiliores potentiæ & qualitates apparent, quàm quæ ab Elementis proficisci queunt. Ergò etiam in mistis nobilior est forma, talis nempè, quæ ex nullâ elementorum mistione & remistione fieri potest.* Hinc *Scaliger* loco sæpiùs citato (*Exerc. 307. f. 20.*) inquit: *Quin istis edice simul, omnem formam cujuscunq; perfectè misti, etiamsi non est anima ut in adamante, naturam esse quintam, longè aliam à quatuor Elementis. Quo ex loco deducitur Herculeum argumentum contra Alexandrum, qui animam ex quatuor Elementis constituebat.* Falsa ergò est Minor. II. Conclusio Syllogismi contra nos non est, quia formam magnetis, gemmarũ, & metallorum, ex coalitu formarum Elementarium fieri, nullibi *Dn. D. Sennertus* asseruit. Pugnat ergò Adversarius more Andabatarum.

*An formæ gemmarum, aliorumq; mistorũ, commodè ex Elementis deducantur.*

*Ad Arg.*

*Ad Argum. III.*

*Quo pacto à Creatore primitùs omnia semina fuerint creata.*

Adversarius miserrimè confundit semina *specierum* cum seminibus *individuorum.* Non omnia semina à creatore fuisse creata, sed multa etiamnum de novo prioribus consumptis generari, magno molimine probare conatur, verùm ausu planè jejuno. Quis enim adeò mentis dementis esset, ut hujus canis, hujus equi, & hujus hominis, semina numericè sumpta, in primâ creatione producta fuisse, somniare non erubesceret? De specierum, non de individuorum, seminibus *Clariss. Dn.* *Sennertus* loquitur: & sicut individua omnia non sunt creata, ita nec omnia omnium individuorum semina creari opus habuerunt. Nulla ergò est Major quia ad primævam creationem *Experientiss. Dn. Sennertus* recurrit, saltem ut monstret, non tumultuario quatuor Elementorum concursu factum esse semen canis, semen equi, aut semen quercus, sed Deum jussisse terram germinare germen, herbam producentem semen, arborem fructiferam facientem fructum juxta speciem suam, & Deum benedixisse piscibus, volatilibus, & cun-

ɛti

ctis animalibus, iisq; vires fœtificandi & generandi concessisse, ut opus non sit, ad nescio quas causas vel remotas, vel instrumentales, vel peregrinas confugere. Sed mittimus hæc, fermè pueris nota.

*Ad Argum. IV.*

Adversarius neicit à creatione ad generationem non licere argumentari. Dixit sanè Deus, *terra germinet germen*, & terra germinavit germen. Sed quid inde? Ergone terræ facultatem semina arborum etiamnum hodiè producendi, indidit? Idem est, ac si sic colligerem: Dixit Deus, *producat terra animam viventem, quæq; secundum speciem suam, jumenta & reptilia atque bestias terræ secundum speciem suam, fuitq; ita. Fecit ergò Deus bestias terræ secundum speciem suam, & jumenta secundum speciem suam &c. Gen. 1. v. 24. & 25.* Ergò terra hodiè adhuc habet facultatem semina jumentorum & bestiarum producendi, & forsan generabit equos, boves, oves, capras, apros & leones. Hoc sanè est Mundum primitùs creatum cum mundo propagatione conservato, & creationem, solius Dei omnipotentis opus,

*Formarū traductionem ipse Moses docet.*

cum generatione creaturis vi benedi-ctionis (non frustrà factæ) largiter con-cessâ, confundere. Corruit ergò Minor cum probatione suâ ineptâ. Vim & ner-vum locorum è Sacris allegatorum & ad traducem applicatorum, si manibus palpare gestit Adversarius, attendat Syllogismum sequentem: *Quicquid à creatore jussum fuit, speciem sibi similem producere, id etiam formam specificam istius speciei producere tenetur. Animantia è ter-ris & aquis producta, à Creatore jussa fue-runt, speciem sibi similem producere. Ergò animantia è terris & aquis producta, etiam formam specificam istius speciei producere tenentur.* Major probatur, quia id spe-ciem producere nequit, quod non unà formam specificam producit, sine hac enim species non est species. Ut corpus facere sine materiâ, est panem facere si-ne farinâ, & somnium sine somno: ita speciem sine formâ specificâ, & v. g. ca-nem sine animâ caninâ, equum sine a-nimâ equinâ, & quercum sine animâ quercus, facere, est contra Dei jussum & mandatum, non canem, non equum, non quercum, & non speciem produ-cere & generare.

*Crescite & multi-plicamini.*

*Ad Arg.*

*Ad Argum. V.*

Adversarius confundit generationē *Incboatam* seu *Imperfectam*, cum generatione *Consummatâ* seu *Perfectâ*. De priori loquitur Major cum suâ probatione, non de posteriori. Nempè Imperfecta & Inchoata generatio fit, cum semen generatur & excernitur: Perfecta autem & Consummata demùm fit, cum omnes partes formantur, totumq; cum omnibus membris quæ ad esse suum spectant producitur. Sic in generatione canis primùm Imperfecta generatio fit cum seminis generatione & excretione, hinc Perfecta post seminis generationem & excretionem in membrorum elaboratione, totiusq; corporis organici constitutione. Quâ de re dictum suprâ in *Responsf. ad Argum. 2. Pent. Undec.* Nec obstat, quod Adversarius ait, illam corporis fabricationem ex *Scaligeri* sententiâ non esse generationem, sed imperfecti saltem corporis perfectionem. Luditur enim termino generationis. Nam membra ac partes corporis generari, & *Aristot. 2. de Gener. Anim. cap. 2.* & alij saniores cum ipso, lubenter fatentur. Et si non generarentur, crearentur, quod absurdum.

*Quando fiat generatio Imperfecta? Quando fiat generatio Perfecta?*

*Object.*

*Responsf.*

Hinc cadit gravis ille error, quem *Dn.* *Sennerto* assuere conatur Adversarius, quod semen, ob animæ præsentiam & operationem, principalem generationis causam dixerit: nam 1. de generatione membrorum, quæ ad Consummatam & Perfectam generationē (quæ utiq; formâ jamdudum introductâ exercetur) spectat, loquitur. 2. ipsum Aristotelem sequitur, qui 7. *Metaph. cap. 9.* semen ad agentia univoca referre, non veretur. Salva etiam adhuc *Clariss. Sennerti* est ratio, videlicet, semini non possunt partes generantis instrumentarij duntaxat tribui, quia generans à quo semen communicatum fuit, vel longè abesse, vel periisse potest. Agentia enim Instrumentalia agunt virtute principalium, quibus sublatis ultrò istorum etiam cessat actio. Sic proprio marte penna non scribit, nec malleus ædificat, nec acus vestes consuit. Exceptio Adversarij est inepta, quia non jam quæritur, quidnam generans communicaverit, sed saltem cujus virtute communicata illa sive forma sive potentia agat. Si *propriâ*, agens instrumentale non est: sin *alienâ*, id quod longissimè abest, vel

*Cur semen non sit Causa Instrumentalis.*

etiam

etiam planè periit, per illam formam aut potentiam operabitur, quod ἄλογον.

## PENTAS DECIMA OCTAVA.

### *Argum. I.*

Quicquid lubrico superstructum est fundamento, id stabile firmumq; esse nequit. Doctrina de præsentiâ animæ in semine, lubrico superstructa est fundamento. Ergò doctrina de præsentiâ animæ in semine, stabilis firmaq; esse nequit. Minor probatur, quia fundamentum illius inprimis est Syllogismus sequens: Ubi datur actio animi, ibi est anima præsens, Generatio est actio animæ &c. Sed negamus Majorem & Minorem. Hanc ex ipso Sennerto inficiamur, qui in Epit. Phys. lib. 3. cap. 2. mistionis causam efficientem generalem cœlum, & proximam actionem duarum qualitatum esse asserit: & capite sequenti misti generationem esse in mistione, & mistionem in misti generatione scribit; & paulò ante etiam in generatione prius formã misti quàm animam produci existimat. Et si ipsa misti forma est vera pro animâ recipi-

endâ dispositio, & proximum animæ subjectum, ut ipse ait Sennertus, eamq; hac ratione præcedit, sanè actiones quas animæ adscribit, absente animâ fieri posse necessum est.

*Argum. II.*

Quicunq; verum modum quo formæ specificæ sese multiplicant, non attendit, sibiq; ipsi contrarius est, ille doctrinam de generatione malè explicat. Dn. Sennertus verum modum quo formæ specificæ sese multiplicant, non attendit, sibiq; ipsi contrarius est. Ergò doctrinam de generatione malè explicat. Minor probatur, quia cum formæ specificæ sese multiplicant, disponunt subjectum vel materiam sibi convenientem, quod fit per commodam mistionem; quo ipso etiam sibi contrarius est Dn. Sennertus, primò quod mixtio & misti generatio fiat ante animam vel formam specificam, ipso asserente, secundò quod sola ipsi sit mistionis primaria causa.

*Argum. III.*

Quicunq; alimenta non simpliciter ex Elementis constare asserit, is anima-

lia ex

lia ex Elementis non nutriri, sed aliâ sublimiori substantiâ, quale est humidum radicale, & spiritus quidam elementis & elementatis connatus concreatusq́;, concedat necessum habet. Dn. Sennertus alimenta non simpliciter ex Elementis constare asserit. Ergò animalia ex Elementis non nutriri, sed aliâ sublimiori substantiâ, quale est humidum radicale, & spiritus quidam elementis & elementatis connatus concreatusq́;, concedat necessum habet.

*Argum. IV.*

Si homo nutritur humido radicali, quod balsamum & quinta essentia à Dn. Sennerto vocatur, sequitur quod nutriatur quintis tantùm essentiis, & quod etiam id quod in nobis verè humanum corpus constituit, tantùm ex iis quintis essentiis constet. Sed posterius est falsum. Ergò & prius.

*Argum. V.*

Si homo constat etiam è quintis essentiis, fortè per separationem substantiarum Elementarium, minus utilium, immortalis esse poterit, sicut rosarum & herbarũ essentiæ spirituales à Quercetano productæ, & à Sennerto non

pro fabulis aut præstigiis, sed veris factis habitæ. Sed posterius falsum censent cordati & docti omnes. Ergò & prius.

## Adversarij Verba.

### Thesis LVIII.

*Quod verò adeò mordicus urget Sennertus, ubi datur actio animi, ibi est anima præsens. Generatio est actio animæ &c. Negamus majorem & minorem. Hanc ex ipso Sennerto inficiamur. In physica sua, seu Epitome naturalis scientiæ libr.3.cap.2.fol.224. inquit. Causam mistionis efficientem generalem esse cælum, proximam vero actionem duarum qualitatum. Et ibidem capite sequenti adserit, misti generationem esse in mistione, & mistionem in misti generatione. Et paulò ante inquit: In generatione prius producitur forma misti quam anima. Et licet dicat Sennertus formas specificas habere vim seipsas multiplicandi, tamen cum multiplicant sese, disponunt subjectum vel materiam sibi convenientem, quod fit per commodam mistionem, quo ipso sibi ipsi iterum est contrarius, primo quod mistio & mixti generatio fiat ante animam vel formam specificam ipso asserente, secundo quod sola*

*sola ipsi sit primaria mistionis causa. Cum itaq; mistionem primarium animæ munus esse asserat, & tamen haud fieri antequam anima superveniat, imò si ipsa misti forma est vera pro anima recipienda dispositio & proximum animæ subjectum, uti ibi inquit, eamq; hac ratione præcedat, sane actiones quas animæ adscribit, absente anima fieri posse necessum est. Pari modo ex limo ranæ, mures, & ex re putrescente vermes generantur, cum vi caloris nativi tum cœlestis, non per actionem animæ.*

## Thesis LIX.

*Progrediendum ad alia non absimilia hactenus commemoratis; uno inconvenienti admisso innumera sequi par est.*

*Alimenta quibus homo cateraq; nutriuntur animantia, non simpliciter ex Elementis constare aut mista esse, sed esse humidum radicale, & spiritum quendam insitum, quibus in escam cedentibus, noster vitalis insitusq; spiritus & humidum radicale restauretur & conservetur asserit D. Senn. libr. 1. Instit. cap VI. Istius humidi radicalis quod cum spiritibus & calore quasi entelechia & vitæ conservator est, omnibus partibus & in continuo fluxu constituti causa alimenti*

 oritur

*oritur necessitas, ita ut nutritio semper ex hoc sit in actu secundo. Quid hinc sodes? Animalia scilicet ex Elementis non nutriri, sed alia sublimiori substantia; quale est humidum radicale, & spiritus quidam elementis & elementatis connatus, concreatusq́; quem lib. V. Instit. cap. 2. balsamum & quintam essentiam vocat. Homo proinde nutritur quintis tantum essentiis, & cum ex iis constemus quibus nutrimur, id quod in nobis verè humanum corpus constituit ex elementis non constat. Hinc Paracelsici isti homines astrales, qui si instar caeterarum quintarum essentiarum possent ab elementorum coalitu tanquam matriculis & thecis ad veram substantiam non pertinentibus liberari, forte cum caeteris essentiis & seminibus & spiritibus Paracelsicis, alternis mundi scenã & Iliadum beatitatis suae repetentibus immortales essemus, cujus farinae procul dubio illa rosae & herbarum spiritualis essentia è cinere apud Quercetanum emergens & exiliens libr. de defension. Hermet. philosoph. quam cum fabulam aut manes praestigiasq́; arbitrarer, uti censent etiam cordati & docti omnes, mirificè vapulo aput D. Sennertum libr. de Galen. cum Chym. cons. & diss. cap. X.*

*Sed*

*Sed qui & veritatis & antiquioris solidaq; philosophia & medicina assertor & doctor praclarus toti mundo videri cupit, sub persona Dogmatici Medici paracelsica deliramenta sensim, quasi aliud agens in scolam Esculapicam introducere, & prurienti juventuti, ingeniisq; novarum & monstrosarum opinionum avidis instillare non debebat; quid enim magis Paracelsicum, quam docere Elementa esse nudas thecas & matrices, rerum essentias continentes non constituentes.*

## Responsio Generalis.

### *Adversarius ἀλλότρια adfert, & calumniari pergit.*

Ἔκθεσις.

Animas seminibus denegare omni conamine tentat. Idq; ut expediat, ad M stionis naturam relabitur, quam ad mentem Aristotelis per miscibilium unionem in *Epit.Phys.Dn.Sennerti* descriptam animadvertens, à misti constitutione ad animatorum generationẽ argumentari conatur. Verùm, diversa hîc generationum genera cõfundi, apparet ultrò. Hinc Aristotelici, quos in *Epitome Physi-*

*Adversarius confundit diversa generationũ genera.*

*Physicâ* maximam partem *Clariss. Dn. Sennertus* sequitur, distinguendum esse inter generationem Elementorum, Misti, & Animatorum, nec ab illa ad istam, neque ab ista ad hanc, argumentari licere, dictitant. Adversarius ergò præter rem ad mistionem hîc sese confert. Deinde, ad alimenta etiam progreditur, quæ non beneficio calidi innati nutrire nō sine bile contendit. Sed quorsum ad ista devolvitur ordo? Ait quidem *th.59. Progrediendum ad alia non absimilia hactenus commemoratis; uno inconvenienti admisso innumera sequi par est.* Verùm, quænam inter originem formarum & rationem nutrimentorum est similitudo? Sic forsan omnia omnibus erunt similia. Inconvenientia quæ è formarum traductione sequi videntur, hactenus sat discussa & dispersa sunt, videat Adversarius quomodo suam ab inconvenientibus & falsitatibus liberet Eductionem. Dolendum verò est, quod virulenta linguæ suæ tela iterum exerere & in famam gloriamq; *Sennerti* nostri crudelissimè debacchari non dubitet. *Sed qui & veritatis*, ait, *& antiquioris solidæq; philosophiæ & medicinæ assertor*

*Adversarius præter rem ad alimenta se convertit.*

*Adversarii scommata.*

*ſertor & doctor præclarus toti mundo videri cupit, ſub perſona Dogmatici Medici paracelſica deliramenta ſenſim, quaſi aliud agens in ſcholam Æſculapicam introducere & prurienti juventuti, ingeniisq; novarum & monſtroſarum opinionum avidis inſtillare non debebat &c.* Sed bona verba, mi Freitagi. Accidit jam *Dn. Sennerto*, quod eventurum prævidit in *Libr. de Chymic. cum Ariſtot. & Galen. Conſ. ac Diſſ.* Præfatione ad Lectorem. Ita enim ibi ait: *Etſi verò nullo alio fine, quàm veritatis investigandæ, atque artis Medicæ propagandæ ſtudio iſtud negotium à me ſuſceptum eſſe, noverit Is, qui novit omnia; & inſtituti mei ratio bonos viros, qui me norunt, non lateat: tamen facilè conjicere poſſum, non omnium idem de hoc meo labore futurum judicium, nec omnes eo, quo à me hæc profecta ſunt, animo accepturos. Indignabuntur enim procul dubio quidam rigidi & pertinaces Peripatetici & Galenici, qui in magiſtrorum verba jurarunt, ac cum Ariſtotele, Hippocrate & Galeno errare, quàm cum recentiorum aliquo verum dicere malunt, quod Chymicorum quaſdam opiniones non planè rejeci, ſed, ſi dextrè explicentur, recipiendas cenſui: atque Ariſtotelicam Philoſophiam, & Gale-*

*Galenicam Medicinam Chymicorum opinionibus contaminari conquerentur. Contrà ægrè Chymici nonnulli ferent, quod non omnes Paracelsi opiniones pro oraculis habui, & quod studiosam juventutem à Pseudochymicorum absurdissimis & portentosis opinionibus dehortatus sum. Verùm quid aliud facerem, qui unicum scopum veritatem præfixam habui, & tantum quid diceretur, non à quo diceretur, spectavi, veritatemq; omnibus autoritatibus præposui?* Non sanè Virum hunc, quantum ad Peripateticos, proprium hoc fefellit præsagium, dum planè pro absurdo & deliro Paracelsi asseclâ ab Adversario suo, à quo omnis modestia & moderatio exulat, qui & se nihil refutare posse, nisi autoris eruditionem & existimationem mirum dirumq; in modum laceret, existimat, traducitur. Sed res Deo committenda, cui soli vindicta, qui suo tempore lucem è tenebris proferet, & calumniæ tela confringet. Gloriæ cupidum esse, aut fuisse unquam, Dn. Sennertum, totique mundo, nescio quid, videri eum velle, aut voluisse unquam, filamenta è corpore araneæ genita sunt. E tuo ingenio, mi Freitagi, alios judicas. Sed

res plena periculi est. Multi gloriæ studiosissimi & appetentissimi audivêre istud: *Speras futurum ut dicta tua in memoriâ hominum durent post tuam mortem: sed hæc nulla cum sint, dum sunt, quæ poterunt esse, dum non erunt?* De Sennerto nostro longè aliter judicant, qui familiariùs cum eo conversantur. Gloria autē quæ eum hactenus non sine splendore comitata fuit, nō tàm sequentem, quàm fugientem illum habuit. Agit quæ sua sunt, cætera commendans DOMINO, & de hoc unico non semel conquerens, quod res omnium pessima rem omnium optimam comitetur, nempè umbra Invidiæ lucem Virtutis.

*Ut rosa suaveolens spinis miscetur acutis,*
*Sic virtutis honos pungitur invidiâ.*

## Responsiones Speciales.

### *Ad Argum. I.*

Transeat, quod Adversarius *animum* & *animam* pro Synonymis habeat, cum tamen non parùm differant, uti apud *Scalig. Exerc. 307. s. 2.* videre est. Minor negatur. Quoad probationem Adversarius

ſarius mentē *Clariſſ. Senn.* pervertit. Non n. Minorē hanc, Generatio eſt actio animæ, *Dn. Sennertus* format, ſed aliam nō parùm diverſam intendit. Benè novit, etiam tacente Adverſario, multas fieri generationes absq; animæ ullius vel influxu vel præſentiâ. Ita ergò vult argumentari: ***Ubi datur animæ operatio, ibi etiam datur anima præſens. In ſemine viventis datur animæ operatio. Ergò in ſemine viventis datur anima præſens.*** Minor probatur, quia ibi eſt (1.) ſeminis vivificatio, & (2.) omnium partium efformatio. Hìc jam Adverſarius animi intendat nervos, & neget ſi absque rubore poteſt & Majorem & Minorem. Major nonné ſat firma eſt? Nonné ab operationibus ad facultates, & à facultatibus ad formas argumentari licet; cum inevitabili neceſſitate operationes de facultatibus, & facultates de formis teſtentur? Et ſi quid habet Adverſarius, quo Majorem hanc infringat, cur Solem metuit, & id non apertè promit? Cur è ſpuriâ Minoris probatione Majorem firmiſſimam infirmitatis alicujus arguere indirectè & re quaſi malè actâ conatur? *Si*, inquit, *ipſa miſti forma eſt verà*

*Syllogiſmus pro præſentiâ animæ in ſemine.*

*vera pro animâ recipiendâ dispositio, & proximum animæ subjectum, ut ipse ait Sennertus, eamq; hac ratione præcedit, sanè actiones quas animæ adscribit, absente animâ fieri posse, necessum est.* Pulcherrima probatio! Nam 1. Dn. Sennertum statuere misti formam esse veram pro animâ recipiendâ dispositionem, & proximũ animæ subjectum, falsum est. De calido innato passim, & in *Instit.* & in *Libr. de Chym. cum Aristot. & Gal. Cons. ac Diss.* hoc dicit, sed non de formâ misti: at calidum innatum & formam misti differre, quis sanorum negabit? 2. Ponatur, istam misti formam, veram pro animâ recipiendâ dispositionem esse, sed quid hoc pro Adversario? Fuissetne per actiones animæ; & quidem absentis; producta? An hæc digna sint, quæ vel recenseantur vel refutentur dubito. Manet inconcussa & ab omnibus doctis concessa Major, *Ubi datur animæ operatio, ibi datur anima præsens.* In Minore solatium, si sperandum, quærere non tantæ foret absurditatis. Sed & illa robore non caret, omnesque Adversarij negotio facili eludit insultus. Quæ enim profert de generatione misti, quid quæ-

*Except. Adversarii ad Majorem.*

*Respons.*

 sio ad

*Except. Adversarii ad Minorem.* so ad rhombum? Generanturné mi
per operationem animæ? Ad vivifi
tionem & partium efformationem
spondere debebat, & nescio quo fa
*Resp.* *Libr.3. Epit. cap. 2.* arripuit, doctrinan
de generatione misti, ut sic, cum doct
nâ de generatione vivêtium, mare cu
cœlo, & cœlum cum mari, commiscu
Ita saltem conquirit προφάσεις, exc
gitat effugia, & indagat latibula, mo
ne vanas deponere præsumptiones
erraffe se errorisq; convictum esse, fa
ri necessum habeat.

*Nam nescire pudens pravè, quàm disc*
*mavult.*

Plura supra in *Resp. Gener. Pent. Oct.*

*Ad Argum. II.*

Minor falsa est. Probatio indicat, A
versarium nec se nec alios intellige
*Quomodo Adversario sese multiplicent formæ specificæ.* *Formæ specificæ ita se multiplicant*, ait,
*per commodam mistionē subjectum vel m*
*teriam sibi convenientem disponant.* Po
ut exemplo Adversarius id declaret.
loco exempli canis. Hujus formā sp
cifica dicitur se multiplicare ita, ut p
commodam mistionem subjectum
materiam sibi convenientem dispon
Quæro, an hoc faciat canis forma s

ci

cifica præſenter, an abſenter? Dubio procul non abſenter. Quia actio requirit contactum. Si præſenter, quæro quodnám ſit illud ſubjectum aut materia conveniens quam per commodam miſtionem diſponit? Semen forſan id ſubjectum erit. Ergò anima canis in ſemine erit. Ergò Adverſarius id propugnat, quod oppugnat, & dubio procul propria verba non intelligit. Et ſi hæc non intelligit, quid intelligeret verba aliorum? Dicit *Dn. Sennertum* ſibi contrariari 1. quod miſtio & miſti generatio fiat ante animam vel formam ſpecificam, ipſo afferente. 2. quod ſola ipſi ſit miſtionis primaria cauſa. Sed contrariationem non video. Si locum è *Dn. Sennerto* Adverſarius allegaſſet, res plana fuiſſet. Miſti, ut tale eſt, quo ſenſu in *Libr. 3. Epit.* tractatur, generationem cum animati generatione cõfundere non licet. Et ſolam animam miſtionis cujusvis primariam cauſam eſſe, Adverſarius pro lubitu ſuo *Dn. Sennerto* affingit. Cætera è ſuperioribus patent. *Except.* *Reſponſ.*

*Ad Argum. III.*

Nunc Adverſarius tranſit à formarum origine, ad rationem nutrimento-

*Cujus naturæ nutrimenta sint.*

rum. Status ergò Controversiæ est, *an Nutrimenta planè Elementaris sint naturæ, an secus?* Hac de re in *Instit. Med. Libr. 1. Cap 5. p. m. 40.* ita ait *Experientiss.* Dn. Sennertus: *Pabulum verò, quo animalia & homo utitur, etsi concretionis Elementaris non sit expers: tamen planè Elementare non est. Deus enim omni bestiæ terræ, cunctisq; volucribus cœli, atque omnibus reptantibus super terram, in quibus est anima vivens, omne olus herbæ dedit in escam: Et homini omnem herbam producentem semen, quæ est in superficie totius terræ, & omne lignum, in quo est fructus arboris producentis semen, dedit in escam; & posteà etiam omne reptile quod est vivens, Animalia autem & plantæ quæ homini & animalibus, cibi loco sunt, non simpliciter mista sunt ex elementis, sed suum humidum radicale suumq; spiritum insitum obtinent, quo animalium quibus in escam cedunt, spiritus insitus, calidum innatū, humidumq; radicale conservatur & instauratur. Quodlibet enim animal quicquid est in carnibus vel plantis humidi radicalis calidiq; insiti, suo corpori apponit, corporiq; suo aptum reddit, & οἰκεῖον facit: reliquum corpus mistum, ut inutile excernitur.* Contra sen-

ten-

tentiam hanc nonnulla profert Adversarius, quæ certis *Argumentis* includere iisq; *Responsiones*, more hactenus sueto, subjungere constitui. Præsens ergò argumentum conceditur totum. *Id* enim *in animalibus per nutritionem restaurari debet, quod absumitur. At non quatuor Elementa absumuntur, sed Calidum Innatum. Ergò etiam Calidum Innatum restaurari debet.* Si hoc, ergò etiam non per quatuor Elementa, sed per simile, nempè per calidum innatum cibis insitum, restaurari debet. Et cur non vescimur lapidibus? Dubio procul enim quatuor Elementis non carent. Si jam per Elementa fit nutritio, cur silex & pumex non nutriunt? Res sanè clara est. Quò plus calidi innati rebus inest, eò magis nutriunt; quò minus, eò minus; & quibus nihil, ad nutrimenta non spectant. Hinc nutrimenta è solo viventium ordine sumenda veniunt.

*Nutritio fit per Calidum Innatum.*

*Ad Argum. IV.*

Duo sunt, quæ in Majore sequelæ instar inferuntur. Alterum est, hominem nutriri quintis tantùm essentiis: alterum, id quod in nobis verè humanũ

corpus constituit, tantum ex iis quintis essentiis constare. Quoad prius præcavendum, ne Adversarius ludat terminis. Notandum ergò quid, & de *nutrimento*, & de *quintâ essentiâ*. Nutrimentum communiter ex *Hippocrate* triplex dicitur: 1. Nutrimentum *quod nutrit*. 2. Nutrimentum *quod velut nutrimentū est*. 3. Nutrimentum *quod nutriturum est*. Τροφῆς δὲ τὸ τρέφον, τοῦτο τροφὴ, καὶ τὸ οἷον τροφὴ, καὶ τὸ μέλλον τροφή. Nutrimentum, *quod nutrit*, est id quod jam assimilatur. Nutrimentum, *quod velut nutrimentum est*, est id quod jam appositum agglutinatumvé est. Nutrimentum *quod nutriturum est*, est reliquum omne, sive in venis, sive in ventre, sive alibi contentum. Quinta Essentia Chymicis dicitur, purissimum, nobilissimū, & efficacissimum illud, quod in frumēto, vino, melle, aliisq; mistis inest, & neque Elementum, neque Elementatum, sed θειοτέρου τῶν καλουμένων στοιχείων σώματος καὶ ἀναλόγου τῶν ἄστρων στοιχείου καὶ φύσεως est. His præmissis, prius quod sequelæ loco in Majore infertur, pro ratione locutionis ambiguæ, & affirmatur, & negatur. Affirmatur hoc sensu, Nutrimentum quod nutrit, & Nutrimen-

*Nutrimētum triplex.*

*Quinta Essentia quid sit Chymicis.*

*Quale Nutrimentū sit quinta Essentia.*

mentum quod velut nutrimentum est, quinta essentia, seu calidum innatum, aut humidum radicale est. Atque sic Adversarius infert id, quod est ipsa Thesis. Negatur, si res de nutrimento quod nutriturum est, & de quintis essentiis indifferenter sumptis intelligatur. Id enim quod in ventre & venis est, non quinta essentia, sed mistū quintâ essentiâ refertum, est: nec quibusvis quintis essentiis nutrimur, aliàs etiam pura medicamenta degenerarent in nutrimenta. Quoad posterius, sequela illa non sequitur. Licet enim homo nutriatur dicto sensu quintà essentià, non tamen ob id quoddam in eo est quod verè humanum corpus constituit, & tantùm ex iis quintis essentiis constat. Non enim saltem Calidum Innatum, sed etiam Elementa verè corpus humanum constituunt, siquidem nulla in toto corpore humano pars est, quæ quatuor Elementis non constet, unde ridiculum est astralem quendam fingere velle hominem, cum homo corpus organicū, nō autem spiritum quendam aut quintam essentiā, denotet. Nec objici potest Canon, *Ex iis constamus, ex quibus nutrimur,*

*Quale Nutrimētum non sit quinta Essentia.*

*An dentur homines astrales.*

*Object. Respons.*

*mur*, cum ille (1.) de identitate non *vera*, sed *proportionis* & *similitudinis*, & (2.) *Inclusivè*, non *Exclusivè* intelligendus sit. Aliàs, quoad prius, homo homine, & forsan vivente, canis cane, equus equo, & quercus quercu, nutrirentur: & quoad posterius, anima rationali homo nō constaret, nec equinâ equus, nec caninâ canis, & nec quernâ quercus.

*Ad Argum. V.*

Calumnias spargit Adversarius, unde vix ullâ responsione est dignus. De quintis Chymicorum essentiis sinistrè loquitur, & extracta cum integris pessimè confundit. *Mira & misera Objectio.* Chymicos corpora naturalia concreta resolvere, ac qualitates præcipuas cum suis propriis subjectis, à fecibus crassioribus & materiis terrestribus & aqueis, ceu inutilibus, separare audit: hinc etiam hominem ita extrahi posse per absurdum colligere tentat. *Respons.* Sed salva res est. Quintæ Chymicorum essentiæ steterunt hucusq; & stabunt porrò. Errores quos nonnulli Paracelsistarum hîc fovent, suos non facit *Dn. Sennertus*, transigat Adversarius cum illis, & *Dn. Sennerto* non affingat quod in mentem ipsi nunquam venit.

nit. Nos Elementa ad hominis constitutionem inutilia esse negamus, & nec in plantis, nec in animalibus, pro nudis thecis & matriculis ad veram substantiam non pertinentibus, ea habemus. Aliud enim est, *secundum quid*, quoad nonnullas medicamentorum facultates, & aliud *simpliciter*, quoad plantarum & animalium constitutionem, ea vocare inutilia. Calumniis ergò etiam Sophismata adnectit Adversarius. Rosas & plantas spiritales à *Quercetano* relatas, altiùs perpendere, rationes inquirere, naturam non raro seipsam explicantem audire, eaq; quæ historiæ confirmant non pro fabulis, manibus, & præstigiis habere, debuisset Adversarius; sed suo utitur genio, quod assequi nequit negat, veritatis inquisitores ridet, ad omnes doctos & cordatos vanâ gloriatione (ac si *Quercetanus*, *Libavius*, *Cornarius*, & alij, docti non essent) provocat, & se apud *Dn. Sennertum* mirificè vapulâsse indignabundus conqueritur. Ut verò querelæ hæ, & res ipsæ auditu mirabiles, meliùs patescant, locum è *Dn. Sennerto* de verbo ad verbum adjungam, atque sic Pentadem hanc con-

concludam. Ita autem ille in *Libr. de Chym. cum Aristot. & Galen. Cons. ac Diss. Cap. 10. p. m. 126.* *Conclusionis loco notatu*

Historiæ mirabiles.

*dignam, & quæ ad naturam spirituum investigandam, non parum animum informare, & multo plura in naturæ ambitu concludi, quam nonnulli existimant, persuadere possit, historiam proponere libet, ex Quercetano, in Defens. contra Anonym. cap. 23. Refert autem in eo loco Quercetanus, se aliquando vidisse Medicum quendam, Cracoviens. Polonum, qui adeò artificiosè noverat ex omnibus plantæ cujusvis partibus pulverem parare, qui Spiritus plantæ, facultatum & functionum autores, contineret; Ita ut si quis rogaret sibi rosam aut calendulam, aut papaver monstrari, pulverem illius plãtæ, vitreo vasculo, Hermetico sigillo obsignato, inclusum, lucernæ admoveret, ut in fundo incalesceret. Quo facto illum pulverem sensim, in speciem plantæ se extulisse & crevisse refert, plantamq; omnibus partibus absolutam exhibuisse, ut planè quis corpoream putarit. Cum tamen saltem spiritualis esset, & vase refrigerato, & tempore languescente iterum in cineres vel pulverem resideret; non sine Resuscitationis & regenerationis ad alteram vitam imagine. Atque talia vitra plura, quam 30. habuisse scribit. Cui non est*

*dissi-*

*dißimilis historia, quam recitat Libavius Syntagm. Arcan. Chyt. lib.1. c.22. communicatam à Jeremiâ Cornario, Archiatro Brandeburgico, Culmbachij. Is n. cum anno Christi 1608. mense Junio aquam quandam destillari curasset, eamq; in vitro, qualibus asservari solent aquæ destillatæ, asservasset: mense Novembri in vitri ejus fundo plantula crevit, cujus picturam & totam historiā loco allegato videre est. Johannes Freitagius quidem in Noctibus Medicis, cum nō viderit rosam illā in vitro è cinere pullulantē, eā pro fabulis vel præstigiis habet; & rationibus nescio quibus, cap.64. monstrare conatur; id quod Quercetanus se vidisse testatur, fieri non potuisse. Verum confirmat historiam Quercetani altera Cornarij, ideoq; rectius fecisset, si quod prudentißime Scaliger in lib. 1. de plant p.218. scribit perpendisset. Longè, inquit Scaliger, sapientius Aristoteles: Ubi res constet, si opinio adversetur rei, quærendam rationem, non rem ignorandam: Si nimirum Chymiæ osores & ἐκ βίβλυ κυβερνῆται manum ipsi operibus Chymicis admoverent, viderent procul dubio multa, quæ jam non credunt.* Hæc Dn. Sennertus. In quibus quàm mirificè vapulet Freitagius non video.

PEN-

## PENTAS XIX.

### *Argum. I.*

In quæcunq; resolvuntur mista, illa sunt prima, ex iisq; mista constant. In Elementa resolvuntur mista. Ergò Elementa sunt prima, ex iisq; mista constant. Minor probatur, quia resolutio vel fit ab arte, vel à naturâ. Utraq; abit in Elementa. Arte separantur spiritus & olea, phlegma & cinis, caputq; mortuum. Hæc omnia transeunt ad suum, unde nata sunt, Elementum, eoq; reducuntur. Spiritus in aërem & ignem revertuntur: oleum in flammam seu ignẽ: phlegma est aqua quæ vinculũ & compagem terræ mista ad soliditatem præstabat corpori.

### *Argum. II.*

Ut se habet ratio conservationis animalis, ita etiam est ratio constitutionis illius. Sed corpus animale vitâ non potitur sine calore, neque calor conservatur sine aeratione & eventatione humidiq; nutritione, neque sine terreâ soliditate ab humido compactâ corpus vitale existit, muniaq; necessaria obit,

aut

aut humidi calidiq; subjectum idoneum & capax est. Ergò etiam tàm ex terra & aqua quàm ex aëre corpus nostrũ fabricatum est, nullaque pars corporis seu solida terram & aquam magis redolens, seu calidior limpidiorque aere & igne magis constans, pro recrementitiâ, inutili, & non necessariâ reputanda.

*Argum. III.*

Si sal etiam in spiritum oleumvé, & hoc in ignem demum vertitur, sequitur omnia ad sua prima redire elementa. Sed prius est. Ergò & posterius.

*Argum. IV.*

Si omnia redeunt in Elementa, sequitur in mistis virtutes à mistorum formis variis, subindeq; novis, sibi per varias mistiones succedentibus, profectas esse. Sed redeunt omnia in Elementa. Ergò etiam in mistis virtutes à mistorum formis variis, subindeq; novis, sibi per varias mistiones succedentibus, profectas esse sequitur.

*Argum. V.*

Si ossa (1.) sunt pars corporis terrea & pulverulenta, & (2.) ex semine nata, sequi-

ſequitur terreum quidpiam in ſemine fuiſſe. Sed prius eſt. Ergò & poſterius.

## PENTAS XX.

*Argum. I.*

Si Hydropici ex alimento proferunt aquam, ſequitur alimentum quatenus tale ex Elementis conſtare. Sed antecedens eſt. Ergò & conſequens. Ratio Majoris eſt, quia ſi alimentum quinta quædam fòret eſſentia, uti vult D. Sennertus, ex eo ſanè non fieret humor aqueus.

*Argum. II.*

Si ex alimento poteſt fieri aqua, vel illud in aquam & elementa reſolvi, neceſſariò ex Elementis viciſſim poteſt generari alimentum. Sed prius eſt. Ergò & poſterius. Ratio connexionis eſt, quia redit ad ſua principia alimentum, & reſolvitur in aquam, quia calor epatis imbecillis humidum elementare cum ſicco debitè unire, determinare, & maſſam ſanguinis per coctionem idoneè generare nequibat.

*Argum. III.*

Si quale nutriens, tale etiam eſt nutritum,

tritum, ſequitur alimentum non eſſe quintæ cujusdam eſſentiæ, ab Elementorum naturâ diverſæ. Sed prius eſt. Ergò & poſterius.

*Argum. IV.*

Quicquid nutritur, per id quod maximè convenit nutritur. Animatum nutritur. Ergò animatum per id quod maximè convenit nutritur. Porrò: Quicquid per id quod maximè convenit nutritur, illud per id quod in naturam partium converti poteſt, nutritur. Animatum per id quod maximè convenit, nutritur. Ergò animatum per id quod in naturam partium converti poteſt nutritur. Porrò: Quicquid per id quod in naturam partium converti poteſt, nutritur, illud per id cujus tota ſubſtantia communionem & ſimilitudinem ſecū habet, nutritur. Animatum per id quod in naturam partium converti poteſt, nutritur. Ergò animatum per id cujus tota ſubſtantia communionem & ſimilitudinem ſecum habet nutritur: & per conſequens alimentum ratione elemētaris ſubſtantiæ nutrit, cùm quale eſt actu nutritum, tale neceſſum eſt ut ſit nutriens potentiâ.

*Arg.*

*Argum. V.*

Per quas qualitates intemperies Epatis corrigitur, ut ex chylo chymum sanguinemq; bonum generet, illæ etiã & in Epate & in cibo sunt. Per qualitates Elementarias intemperies Epatis corrigitur, ut ex chylo chymum sanguinemque bonum generet. Ergò etiam qualitates Elementariæ & in Epate & in cibo sunt. Ratio Majoris est, quia calor non miscet nisi corpora Elementaria sicco humidoq; terminabili & miscibili constantia.

## Adversarij Verba.

### Thesis LIX.

*Adversarius sui obliviscitur, duasq; theses 59. format.*

*Et ut hoc penetralius dispiciamus, cum Galeno dicimus corpus ex iis constare in quæ resolvitur. Elementum definitur Aristot. Lib. 3. de Cœlo, corpus simplex in quod cum insit corpora dissolvuntur, ipsum verò in alia quæ specie differunt, dissolvi nequit. Proinde si solvuntur in illa quæ in alia specie dividi nequeunt solvuntur, & sic necessario hæc sunt prima cæteraq; ex iisdem composita. Resolutio fit ab arte vel naturâ. Arte separantur spiritus & olea, phlegma & cinis caputq;*

*putq́; mortuum. Hæc omnia transeunt ad suum, unde nata, Elementum, eoq́; reducuntur. Spiritus ex aere & igne, uti principia sua sapiunt ita in illa revertuntur. Oleum facilimè concipit calefacientem arentemvè flammam seu ignem, specie & actu actioneq́; nihil ad Elementarem accedentem & euntem. Phlegma est aqua quæ vinculum & compagem terræ mista ad soliditatem præstabat corpori. Cum enim omnis mistio circa centrum mundi sit, terra necessario inerit, si terra & aqua quoque quæ terræ siccitatem continet & formabilem efficit: si terra & aqua, & horum contraria, ignis scilicet & aer, alioquin perfecta mistio & misti dissolutio nunquam erit. Verùm in mistis quæ consistentia prædita sunt, terra aquam mole superat, in cæteris non item. In omnibus autem terra & aqua, ut præcipua materia, mole sua ignem & aerem excedunt, sed non virtute. Nam Igni prima virtus & efficacia tribuenda, quæ homogenea in unum cogit; deinde aeri qui tenuitate sua massam ex terra & aqua penetrat, temperat, & quasi fermentat, adeò ut aer terræ & aquæ permistus idoneum igni pabulum suppetat: & calor igneus cum aereo junctus, totam illam massam permeare, permiscere, definire & con-*

 coque-

*aequere queat, ac ad eum finem perducere, quem natura, qualis in animatis anima ac plastica vis in semine, ad cætera cœlestium corporum motus intendit & dirigit.*

THESIS LX.

*Uti corpus animale non poterat vitâ potiri sine calore, neque calor animantis pulmones, vel quod ipsi respondet habentis, sine aeratione & eventatione humidiq; nutritione conservari, neq; sine terreâ soliditate ab humido compacta, corpus vitale existere, muniaq; necessaria obire, aut humidi calidiq; subjectum idoneum, & capax esse, ita tàm ex terrâ & aquâ quàm aere & igne corpus nostrum fabricatum esse oportuit, quod universim & per omnes partes tàm solidas ex terra & aqua, quam reliquas animâ suâ informatum vivens est & sentiens, ut nulla pars corporis seu solida terram & aquam magis redolens, seu calidior limpidiorq; aere & igne magis constans, pro recrementitiâ inutili & non necessaria reputanda. Si reponis sale è cineribus educto, terram remanere insipidam: Respondeo salem in spiritum oleumvè, hoc in ignem demum verti, omnia ad sua prima redire elementa, nihil præter elementa virtutis habentia. Unde sequitur in mistis virtutes à mistorum formis variis,*

*sub-*

*subindeq; novis sibi per varias mistiones succedentibus profectas esse. Ossa sunt pars corporis terrea & pulverulenta, vivunt tamen, consumuntur & nutriuntur: ex semine verò nata sunt, terreum itaq; in semine quidpiam fuit. Eo nutrimur, ex quo constamus. Hydropici ex alimento proferunt aquam, quod calor Epatis debilior non possit alimentarium naturalemq; producere sanguinem, quamobrem sibi quantum potest, gignit simile, cum omne alterans assimilet sibi alteratum qualitate vel substantia, juxta eam quam possidet virtutis quantitatem.*

*Non verò posset ex alimentis producere aquam, nisi alimentum quatenus tale ex Elementis constaret. Si alimentum quinta quadam foret essentia, non ex elementis composita, uti vult D. Sennert, utiq; ex eo non fieret humor aqueus. Quocirca si ex alimento potest fieri aqua, vel illud in aquã & elemẽta resolvi, necessario ex Elementis vicissim potest generari alimẽtum redit enim ad sua principia alimentum & resolvitur in aquam quia calor Epatis imbecillis humidum elemẽtare cum sicco debitè unire determinare & massam sanguinis per coctionem idoneè generare nequibat. Atqui sic alimentum non est quinta quadam essentia ab Elemento-*

 *rum*

*rum natura diversa, siquidem quale nutriens tale nutritum: omnibus partibus corporis inest desiderium convenientis & odium alieni. Illud autem maxime convenit, quod in naturam partis converti potest. Quare oportet ut toti nutrientis substantia cum nutriti natura commanio similitudoq; sit, ut vera dicatur nutritio, alimenti in substantiam nutriti conversio. Quale est actu nutritum, tale necessum est, ut sit nutriens potentia. Demum cum Epatis intemperies corrigatur per qualitates Elementarias, ut ex chylo chymum sanguinemq; bonum generet, necessum est & epatis & cibi qualitates & substantiam esse ex Elementis: calor enim non miscet nisi corpora Elementaria sicco humidoq; terminabili & miscibili constantia.*

## Responsio Generalis.

### *Adversarius mirâ confusione confusum suum Chaos concludit.*

Ἔκθεσις.

*Omnia tunc bona sunt, clausula quando bona est.* Hinc Adversarius telam confusè cœptam & continuatam, confusissimè finire gaudet. Denuò thesin quinquage-

quagesimam nonam format, atque sic trigesimam tertiam quam suprà omiserat, per quinquagesimam nonam bis positam tàm concinnè & elegãter supplet, quàm appositè & exactè quadrant quadrata rotundis. In sexagesimâ verò thesi, quæ ultima totius Disputationis est, quid non sese ostentat? Varia variarum materiarum adest coacervatio, omnem respuens ordinem, ac Physica, Chymica, Anatomica, aliaq; diversissima, indiscretè offerens, ut ex unicâ illâ thesi duas fermè Argumentorum Pentades extrahere, sicque binas ultimas Pentades conjungere, coacti fuerimus. Nil enim prætereundum videtur, ne sibi ad sua nihil fuisse responsum clamare habeat.

## Responsiones Speciales.

### Ad Pent. XIX.

*Argum. I.*

Minorem exclusivè sumptam negamus. Mista non in nuda Elementa, sed maximam partem in mista alia abire, accuratissimè (ut suprà etiam dictum) jamdudum in *Lib. de Cons. & Diff. Cap. 11. & 12.*

*Mista non in nuda Elementa resolvi.* & *12. Experientiss. Dn. Sennertus* demonstravit. Adversarius naturæ opera non ita superficialiter, sed paulò intimiùs pensitet, & rem aliter se non habere etiam invitus deprehendet. *De Putrefactis.* Putrefacta adire si tentet, merum aërem esse quod evaporat, haud dixerit. Contrarium enim fœtor, inquinatio spirituum, læsio cerebri & cordis, aliaq; plura loquuntur. Hinc & aliter nos afficiunt putrefactæ plantæ, aliter putrida cadavera: & aliter plantæ istæ, aliter illæ, aliter aliæ; aliter etiam cadaver equi, aliter cadaver felis, aliter cadaver hominis, aliter cadavera cætera. Et fimus ac urina si putrescant, quàm tetrum ac noxium de sese odorem spargant, nemini est ignotum. *De Combustis.* Combusta si spectare non erubescat, in suffitis, in pulvere, aut sulphure, accensis, nudum vel aërem, vel ignem, vel alia Elementa, seu pura, seu impura, seu etiam imperfectè mixta, adesse dicere haud poterit. Potius ipsissimæ corporum è quibus exhalarunt substantiæ & essentiæ, illic adhuc præsentes & vigentes sese ostentant. Qua de re aurea verba *Excellentiss. & Experientiss. Dn. Sennerti* l. c. c. 11. p.m. 160. leguntur. *Ex sulphure*

*phure accenso,* inquit, *flores sulphuris colliguntur. Fumus, qui è Mercurio aut sale armoniaco exhalat, ipsissimus est Mercurius & sal armoniacus & longè aliud, quàm fumus, qui ex ligno querno, vel tartaro, vel vitriolo elevatur. Aut si saltem metallorum fossores & coctores, quorum sæpè longè major, quàm ἐκ βίβλου Physicorum & otiosorũ speculatorum in hoc genere est peritia, consulerent, aut eorum caminos inspicerent, aliter se rem habere quàm putant, facilè doceri possent. Quibus certè fides hic non deroganda, cum docent, arsenicum, pompholygas, cadmiam, Mercurium, & ejusmodi alia multa è metallorum fusione & coctione, ac sublimatione exbalare, & in fornacibus & alembicis colligi, non verò elementa vel simplicia, seu pura seu impura, vel imperfectè mixta & meteora. Nullâ hic demonstratione opus est, sed sensu potius: & si Chymicus dixerit, illud quod fumi specie elevatur, esse sulphur, Mercurium, arsenicum, cadmiam, istud sal aliquod volatile, non aliquod meteorum: cur sensibus fidem derogem, & Chymicis ac metallorum coctoribus, quibus talia usitatissima sunt, non credam? Imò credunt omnes Medici, qui ea pro iisdem etiam, pro quibus à metallurgis venduntur, usurpant.*

*Certè sensibus hîc fidem derogare & demonstrationes poscere, ἀῤῥωςία διανοίας est, & qui hoc facit, idem facit, ac qui piscatori, qui lucium se cepisse dicat, carpionem vel cancrum cepisse Syllogismo persuadere conetur; imprimis cum effectibus res tales naturas suas satis prodant, & proprietatibus suis se manifestent.* Et paulò post p.161. *Non ergò ita obiter & superficialiter de naturæ operibus judicandum, sed paulò penitius ea introspicienda sunt. Et quod nobis fortuitò non objicitur, arte & industriâ inquirendum. Nimirum in naturæ externis resolutionibus judicandis, multa occurrunt impedimenta: neque partes resolutæ ad examen sese sistunt, ut cognosci possint, An elementa pura sint, vel alterius generis, sed in auras diffunduntur & aufugiunt. Major autem certitudo est in operibus artis, ubi nihil perit, sed vasis clausis omnia administrantur, partesq; resolutæ inclusæ colliguntur, & heterogenea ab homogeneis discernuntur, ut rectum de omnibus possit fieri judicium: absq; quo si sit, impossibile est, ut quisquam, etsi pro absolutissimo Philosopho, vel Physico se venditet, ex solo vapore adscendente de natura rei judicare possit; cum vapores ad adspectum sint similes, id verò quod in vase*

*recipiente colligitur, diversitatem monstret, & hoc esse spiritum vini, illud rosarum, hoc cerasorum, illud salis, vitrioli vel alium; hoc flores sulphuris vel salem armoniacum doceat, quæ, etsi pura puta principia non sint, quia tamen ea in iis abundant, ab iis corpora illa denominationem accipiunt &c.* Hinc nullam esse Minoris probationem, sat clarum est. In Elementa enim ea omnia, quæ & artificialiter & naturaliter resolvuntur, abire, simpliciter falsum est. Spiritus & olea in aërem & ignem mutari qui putat, videat, ne murem farinâ aspersum, eundem cum domino pistrini faciat. Non enim id omne ignis est, quod in flammâ est: nec id omne aër, quod in aëre invisibiliter degit. *Optima ac subtilissima quæque rerum, aut fugiunt, aut fallunt sensum,* teste Scaligero. *Et prophani sunt, qui nihil esse putant, nisi illud, quod manibus palpare & prehendere possunt,* monente Platone. Phlegma verò, cinis, caputque mortuum, plurimum quidem aquæ & terræ continent, atomis tamen à terrâ & aquâ diversis in totum non carent. Et posito, tàm exactè separationem & resolutionem fuisse peractam, ut pura puta ibi remanserint Ele-

*An spiritus & olea in aerem & ignem mutentur.*

menta, tamen nihil aliud exinde sequeretur, quàm in misto terram & aquam præfuisse, quod nemo negavit. Ac
Object. quamvis Elementum ab Aristotele describatur, *corpus simplex, in quod cum insit corpora dissolvuntur, ipsum verò in alia,*
Respons. *quæ specie differunt, dissolvi nequit:* nihilominus tamen contra hactenus dicta nihil infertur. Priora enim Descriptionis verba Inclusivè intelligenda sunt: posteria planè nihil quod contra nos sit, proferunt. Hoc est, Mista resolvuntur in Elementa, sed nec tantùm, nec immediatè, sed maximam partem in atomos etiam specie ab Elementis diversas: ipsa verò Elementa in alia priora specie diversa resolvi nequeunt.

*Ad Argum. II.*

Conceditur Syllogismus totus. Audivit Adversarius, non omnia quæ in plantis, metallis, aliisq; mistis habentur, iisdem gaudere facultatibus, sed per extractiones Chymicas, efficacissima & nobilissima ab aqueis, terrestribus, & (quoad certum usum) inutilbus, separari posse: hinc, ut semper contrarium se præstet, corpus humanum tàm ex

terrâ

terrâ & aquâ, quàm ex aëre & igne constare, probare conatur. Sed cui bono? Omnia Elementa ad metallorum, plantarum, & animalium constitutionem concurrere, quis negat? Omnia autem non inservire omnibus, nec negaturum spero Adversarium ipsum.

*Ad Argum. III.*

Fuit responsum in Resp. ad Arg. I.

*Ad Argum. IV.*

Transeat Major. Minorem petere principium, quis non videt?

*Ad Argum. V.*

Argumentum hoc contra Dn. D. Sennertum non est. Conceditur ergò totum.

AD PENTAD. XX.

*Argum. I.*

I. Falsum est, Hydropicos ex alimento proferre aquam; quod ut pateat diversæ Hydropis considerandæ sunt differentiæ. Hydrops ergò absolutè & ἄνευ προσθήκης sumptus, tres habet species seu differentias, quarum *prima* ἀσκίτης, *secunda* τυμπανίτης, *tertia* σαρκίτης seu ἀνασάρκα, aut ὑποσάρκα, vel λευκοφλεγματία, dicitur. *Ascites* est, cum totus venter inferior, ad mo-

*Hydropis species.*

*Ascites quid.*

*Tympanites quid.* modum ἀσκοῦ ſeu utris, aquarum copiâ tumet. *Tympanites* eſt, cum venter ille flatu diſtenditur,& pulſatus tympani inſtar ſonum edit. *Anaſarca quid.* *Anaſarca* eſt, cum per univerſam corporis molem humor albus & pituitoſus diſſeminatur, qui totum corpus inſtar ſpongiæ repletæ tumidum madidumq́; reddit. *An Hydropici ex alimento faciant aquam.* Sive jam conſideretur Aſcites, ſive Sarcites ſeu Anaſarca, (Tympanites enim huc non ſpectat, quia non aquam, ſed craſſum flatum includit) nunquam alimentum mutatur in aquam, quod egregiè demonſtrat *Excellentiſſ. & Experientiſſ. Dn. Sennertus Libr.1. Pract. Part. 6. ſect. 2. cap. 3. pag. 713.* dum inquit: *Equidem in Anaſarcâ libenter admitto chylum in crudiorem & pituitoſum ſanguinem mutari; at in aquā totus mutari non poteſt; Neq; ſerum, quod* *Unde aqua in Hydropicis.* *per urinas naturaliter excernitur, & in hydropicis præter naturam detinetur, in epate vel Liene primùm generatur, ſed è ventriculo tranſmittitur & attrahitur, eſtq́; ille humor, qui bibitur & cibis admiſcetur. Unde etiam obſervatum, quosdam hydropicos omnimodâ à potu abſtinentiâ ſanitati reſtitutos fuiſſe.* Et experientia atq; ipſa corporis nutritio, & ſanguis, qui in venis etiam

in hy-

*in hydropicis continetur, docet chylum, non in aquam, sed in sanguinem in Ascite mutari, serosum verò & aqueum in primis viis subsistere.* Et ibidem Quæst. 1. pag. 755. ait: *Neque coctione, sive bonâ sive malâ, plus humoris & aquæ ex chylo fieri potest, quàm quantum ejus in eo est, & illa ipsa aqua, quæ sanguini permiscetur, in chylo jam fuit ex cibo potuq; relicta, ut esset ὄχημα τροφῆς & distributioni alimenti inserviret. Ut verò ex chylo corpore composito & heterogeneo aqua saltem fieret, impossibile est: neque in venæsectione, si in hydropicis ea instituatur, aqua mera, sed sanguis, & sæpè pauco sero dilutus emittitur: & aquam illam hydropicorũ non in epate ex læsa sanguificatione fieri, sed ex cibo & potu assumpto colligi, etiam illud docet, quod quidam à potu omninò abstinentes ab hydrope liberati sunt. Ita refert Plinius, natural. histor. lib. 7. cap. 18. Julium Viatorem, equitem Romanum, voluntate sitim vicisse, cum aquâ subter cutem fusæ morbo laboraret; & Benovenius, de abdit. sanat. & morb. causs. cap. 13. refert, se rustico cuidam, quem aqua intercus malè habebat, consulenti respondisse, sanari eum non posse, cum morbus jam inveterasset, nisi ultrà non bibat, quàm ut vitam*

*Historia utilissima.*

*tam sustineat. Rusticum dicto obtemperasse, & per annum nihil bibisse, & sanatū fuisse. Quæ omnia cum ita sese habeant, vero consentaneum non videtur, in ipso epate serum, proximam hydropis causam generari, sed citra epar colligi, & aquam in hydropicis cumulari, quod quicquid ejus cibo & potui permistum est, ad convenientes evacuationis vias non pervenit, & neque per lienem, neque epar, ad renes penetrare potest, sed in venis mesaraicis gastricisq; & epiploicis citra epar subsistit.* II. Ludit Adversarius Homonymiâ. *D. Sennerto* nutrimentum quintam quandam essentiam esse, ait, sed si nutrimentum quod nutriturum est, intelligit, toto cœlo errat. Quis enim panem, carnes, caseum, butyrum, chylum, & sanguinem, quintas vocaret essentias? Si verò vel nutrimentum quod nutrit, vel nutrimentum quod velut nutrimentum est, (ut in *Resp.* ad *Argum. 4. Pent. 18.* dictum) intelligit, utrumq; quinta aliqua essentia est, sed neutrum ad Hydropem confert quicquam.

*Distincta Nutrimētorum genera confundenda non sunt.*

*Ad Argum. II.*

Transeat Major, quæ tamen fermè col-

colligere videtur hunc in modum: *Si è cadavere equi fiunt scarabæi, etiam è scarabæis fiet cadaver equi;* aut, *Si ex semine fit homo, etiam ex homine fiet semen.* I. Falsum est, ex alimentis fieri aquam, ut dictum probatumq;. II. Falsum est, Hydropem semper ab imbecillitate epatis provenire, quia epate salvo Hydropem non rarò fieri, & *experientiâ*, & *rationibus*, & *autoritatibus* fretus, exactè *Excell. & Experientiss. Dn. Sennertus Lib.3. Pract. Part.6. sect.2. cap.3.* demonstrat. De *Anasarcâ* quidem concedit, quod epatis vitio, & in specie intemperie frigidâ, quia pro sanguine bono crudus & pituitosus generatur, & per omnes venæ cavæ ramos distribuitur, tertiaq; coctio frustratur, ac corpus totum tumidum & aqua quasi suffusum redditur: verùm de *Ascite* & *Tympanite* rem ita non procedere, non sine re contendit. *Vulgata,* inquit pag. 746. *equidem & antiqua in scholis Medicorum est sententia, omnem hydropem accidere epate primariò affecto, & proximam ac præcipuam omnis hydropis causam esse αἱμάτωσιν Epatis læsam, & quidem ab intemperie ejus frigidâ.*

*An omnis Hydrops ab imbecillitate Epatis proveniat.*

*Potuit*

*Docuit id Galenus libr. 5. de loc. aff. cap. 7. ibid. lib. 7. cap. 1. 6. aph. 12 & 42. 2. Progn. t. 1. & 2. 4. de præsag. pulf. cap. 9. Galenum sequitur Avicennas, lib. 3. fen. 14. tr. 4. cap. 4. & alij Medici pleriq́, & adducti sunt in eam sententiam, quod cum epar officina sanguificationis sit, ibi sanguinem vitiosum generari probabile sit, ubi bonus generatur. Et quia calor innatus epatis, præcipuum sanguificationis instrumentum est, eo læso & epate refrigerato sanguinem serosum generari, & tandem hydropem induci crediderunt. Reperti tamen sunt, præcipuè nostro seculo, non pauci Medici, qui à communi opinione ista discesserunt, & quidem primò ea de causa, quod in sectione hydropicorum sæpè epar salvum inventum sit. De quo Mauric. Cordeus, comm. 5. in libr. 1. Hippocr. de mulieb. scribit: In hac, inquit, Parisiensi Asclepiadarum familia percelebri magnus est & frequens numerus Medicorum catervæ ubiq́ sunt multæ atq́ conventus; vix verò inter eos ullum reperias, cui non contigerit Hydropicum cadaver aliquod eviscerare. Quid verò in illis commento superiori simile reperias? Integrum est in multis epar ex omni parte, quibus exortus est hydrops ab aquoso Liene. Refert quoque Schenckius, Libr. 3. observ.*

*observ. ex observation. D. Francisci Tidicæi, quæ historia integrè infra de Tympanite recensebitur, Virum quendam sexagenarium, cùm diu à flatibus & anhelandi difficultate molestatus esset, tandem in Asciten incidisse, eoq; mortuum esse, in cujus cadavere aperto epar nihil ferè à sana epatis constitutione differre visum est, neque quicquam in eo vel alio viscere vitij oculis notari potuit. Quæ confirmare videtur id, quod Joh. Paschalius, de med. morb. libr. 1. cap. 34. refert: Mulierem quandam annos 50. natam laborasse Ascite sex annos, & ex casu in lapidem ventrem ejus fuisse vulneratum, per quod vulnus cum subitò omnis aquositas evacuata fuerit, incidisse quidem illam in animi deliquium, sed posteà in Xenodochio Patavino bonis alimentis assumptis pristinam recuperasse sanitatem. Nam si in muliere quinquagenaria epar refrigeratum fuisset, ut Ascitem generaverit, certè œconomia illius ita turbata fuisset, ut post aquæ evacuationem tam subitò sanitatem recuperare non potuisset. Quibus accedit & illud, quod Benivenius, Dodonæus & Langius narrant; quosdam aquæ potu largißimo ab hydrope sanatos fuisse aperto umbilico. Nam si epar*

*Historiæ hydropem absq; epatis vitio provenire posse demonstrantes.*

tam valdè refrigeratum fuisset, non tàm facilè sanitati aqua evacuata restituti fuissent, præcipuè post aquæ potũ largissimum. Neq; in eo effugium patet, quod nonnulli dicunt, hydropem provenire ab intemperie epatis frigidâ, quæ oculis videri non possit. Etenim hydrops, si ab intemperie epatis proveniat, non à levi aliqua ejus alteratione oritur, sed à calidi nativi ejus extinctione vel absumptione, quam caloris & qualitatum epatis talis mutatio sequitur, ut epar malè affectum fuisse etiam oculis pateat, quale tamen nihil in hydropicis demortuis sæpè invenitur. Deinde epar salvum esse posse, & nihilominus hominem in hydropem incidere, eo probatur, quod non solum epar, sed & lien sanguificationis organum sit, & propterea eo læso etiam hydrops oriri possit. Quod præter experientiam confirmatur autoritate Hippocratis, qui libr. περὶ παθῶν scribit: γίνεται ὕδρωψ καὶ ἀπὸ σπληνός, ὅταν νοσήσῃ: generatur hydrops etiam à splene, cum ægrotaverit. Et libr. 1. de morb. mulier. docet, splenem humorem aquosum ad se trahere, ut qui rarus & spongiosus est, & secundum ventriculum situs, generationemq; hydropis ex splene eo loci integrè describit. Idem do-

vet

*et libr.4. de morb.* Hæc Dn. Sennertus, quibus & illa adjungenda, quæ pag. 755. habet, his verbis: *Si in epate ſerum illud generaretur, cur non à venis attraheretur, & in totum corpus diſtribueretur, ut in anaſarca fieri ſolet? aut, cur non per patentes vias, præcipuè urinam, excerneretur; cum nullum in renibus vitium ſæpè deprehendatur in hydropicis?*

*Ad Argum. III.*

Major eſt miſerrima. Verum quidem eſt, quale eſt nutriens, tale etiam eſſe nutritum, & contrà, quale eſt nutritum, tale etiam eſſe nutriens, nempè *proportionaliter*, non verò *eſſentialiter:* ſed quid indè? Scilicet I. pro nutrito, non autem pro nutrimẽto quid concludi poteſt. Talis enim foret Syllogiſmus: *Quale eſt nutriens, tale eſt nutritum. Nutriens eſt Elementare. Ergò etiam nutritum eſt Elementare.* Ubi & principium petit Minor, & ſtatum Controverſiæ non ferit Concluſio. II. Quid hoc eſt dicere, Quale eſt nutriens, tale etiam eſt nutritum, ergò alimentum non eſt quintæ

essentiæ? Nutriens & nutrimentum Adversario sunt, & in hoc passu esse debent, Synonyma, inde hoc dicitur: *Nutrimentum non est quinta essentia, quia quale est nutrimentum tale est nutritum.* Puræ putæ nugæ sunt. III. Calidum Innatum quod quintæ est essentiæ, cùm in nutriente, tùm in nutrito est, nemoque unquam vel nudis Elementis, vel Mistis calido innato destitutis, quamvis aliàs optimè commistis & remistis, quit nutriri. Hinc saxa & metalla non nutriunt, non ob Elementorum penuriam, nec ob mistionis pravitatem; sed unicè ob calidi innati absentiam.

*Ad Argum. IV.*

Verum est, animatum per id quod maximè convenit nutriri: verum etiam est, animatum per id quod in naturam partium converti potest nutriri: verum & id est, animatum per illud cujus tota substantia communionem & similitudinem secum habet nutriri: sed falsum est consequens istud, quòd alimentum ratione Elementaris substantiæ nutriat; quia animatum non pure

Ele-

Elementare eſt, ſed inprimis calido innato gaudet, quod probare, eſſet cœcum, dari colores demonſtrare conantem, imitari.

*Ad Argum. V.*

I. Qualitates Elementares in Epate eſſe non negamus, ſed id ſaltem cavendum cenſemus, ne unius *incluſio* fiat alterius *excluſio*. Qualis enim Conſequentia? *Ubi ſunt qualitates Elementares, ibi non ſunt qualitates Elementis nobiliores, à formâ nobiliori proficiſcentes. In Epate ſunt qualitates Elementares. Ergò in Epate non ſunt qualitates Elementis nobiliores, à formâ nobiliori proficiſcentes.* *Cautela I.*

II. Intemperiem Epatis qualitatibus Elementaribus corrigi, itidem non negamus, ſed non ſolùm ad intemperiem, verùm etiam ad *appropriata* & peculiarem cum epatis natura convenientiam habentia, reſpiciendum eſſe urgemus. Ut enim affecto cerebro cephalica, thorace thoracica, corde cordiaca, ventriculo ſtomachica, ſplene ſplenetica, uteri hyſterica, aliaq́, parte, appropriata alia: ita & affecto epate epatica, *Caut. II.*

 adhi-

*Caut. III.* adhibenda & exhibenda veniunt. III. Cum intemperies alia *Materialis*, alia *Immaterialis* sit, indeq; Morbus vel *Factus* vel *Fiens* dicatur, illa quæ cum materiâ est, solâ alteratione, sive per qualitates Elementares, sive per alias nobiliores factâ, tolli & amoveri haud potest. Effectus enim non tollitur, nisi causâ, à quâ in fieri & in esse dependet, sublatâ: hinc causæ etiam, quæ intemperiem fovent, sui remotionem postulant. IV. In nutrimento (nutrituro) reperiri etiam qualitates Elementares, Adversarius probare non tenetur. Hoc enim non est quod controvertitur, sed illud, *an nutrimenta planè & in totum Elementaris naturæ sint, an verò præter quatuor Elementa etiam Calido Innato, quod quinta essentia & τῷ τῶν ἄστρων στοιχείῳ ἀνάλογον est, constent?* Hîc Rhodus, hîc salta.

*Quid Adversario probandum.*

Con-

# Conclusio.

Emersi tandem, & non absq; desiderio emersi, ex hoc insigni pelago, recto tramite tendimus ad ILLUM, pro cujus Potentiâ, Sapientiâ, Clementiâ, & Providentiâ, hilari certavimus animo: qui singulis diebus, horis, & momentis, copiosè & Sapientiæ, & Potentiæ, & Misericordiæ suæ thesauros, super omnes effundit & diffundit: qui in quibusvis, etiam minutissimis herbulis & lapillis, gloriæ suæ infinita specula formavit & firmavit: qui manu suâ Cœlos extendit, & dexterâ suâ luminaria magna, omnia moderantia, omniaque mensurantia, plasmavit: ad quem omni temporis puncto omnis rerum Natura gutture pleno clamat: *IPSE fecit nos, & non ipsi nos.* Ipsi ergò in tantâ rerum bonitate *Optimo*, in tantâ rerum amplitudine *Maximo*, in tanto rerum decore *Pulcherrimo*, in tantâ rerum perfectione *Perfectissimo*, & omni omnium linguarum eloquio, omniq; omnium animorum cogitatione, præstantiori, sit Laus, Honor, & Gloria.

Cæterùm, ad Te etiam, *Clarissime Freitagi*, mea sese convertit oratio. De tuâ enim *Disputatione AntiSennertianâ*, fusè hactenus à me examinatâ & refutatâ, si absque ullo cùm *Personarum*, tùm *Officiorum* adspectu & adfectu, jam tandem omnibus actis & transactis Colophonis loco quid dicere tenerer, liberè & candidè adferrem illud: *Loquentiæ multum, Eloquentiæ parum, Sapientiæ nihil.* Judicium esto penes æquum Lectorem. Centuriam quidem *Argumentorum* inde extruere & extrahere laboravi, verùm non ac si tantâ rationum vel *Quantitate* vel *Qualitate* instructus, in arenam publicam cum *Excellentissimo Dn. Sennerto* descendere gavisus fuisses, sed quia veritatis amantissimus & avidissimus quicquid vel divinando (conjectore enim Oedipo ubiq; opus habes, & an omnes qui hæc tua legunt, eodem modo te intellecturi sint, admodum dubito, forsan multi in multis te nec intelligent, nec eodem modo intelligent, cum fermè intelligibilis non sis) è tuis confusissimè prolatis thesibus haurire potui, hausi & exhausi, ac

si, ac an dignum quid genio ingenuo, anxiè inquirendo & disquirendo, prehendere possem, omni molimine tentavi. Et nullus planè dubito, teipsum hanc Argumentorum copiam, in proprio tuo fœtu, nunquam quærere fuisse ausum; & tot rationes & ratiunculas ibi latitasse, prorsus ignorasse, & etiamnum ignorare. Proinde mihi meisque laboribus haud succensebis, cum propria tibi monstraverim, formaverim, & expoliverim, arma: hoc autem dubio procul inficias ire non valebis, mitiùs longè & amiciùs tecum actum esse, quàm ob convicia, quæ passim in *Dn. Sennertum* evomere gestis, promeritus fuisses. Vile & exile ingenium est, quod casu Virorum optimè meritorum inclarescere tentat, quod nihil nisi quod & quātum ipsum assequi potest rectum & verum, cætera omnia falsa, vana, ficta, frivola, stulta & absurda, esse judicat; quod meram Antiquitatem sonat, sæpeque novum diffamat quod vetus & antiquum esse ignorat. Pro *Aristotelicis* autem & *Peripateticis*, cùm in *Thesi*,
 tùm

tùm in *Antithesi*, subindè *Scholasticos* nominare volui, non absq; mente & consilio; sed partim, quia verissimè per infelicissimas illas *Scholasticorum* lucubrationes, à Naturæ pulcherrimis, amœnissimis, divinis, ac stupendis operibus, ad nescio quas futiles & inutiles subtilitates, è Metaphysicorum scholis in Physica Acroateria infausto sidere relatas, retractæ fuerunt mentes veritatis amãtes: partim, ne ipsum *Aristotelem*, vel etiam *Philosophos Peripateticos*, è manibus Discentium extorquere, & omnia Ant-Aristotelicorum dogmata velut oracula venerari, judicer, cum utriq́ue, & ij qui pro Aristotele, & isti qui contra Aristotelem scripserunt, mihi sint charissimi. Sæpè enim multa præclara & in illis & in istis occurrunt, licet sæpè etiam *Iliacos intra muros peccetur & extra*. Ut ergò apes hinc inde circumvolitant, & ex omnibus pratis optima quæq; libant, colligunt, inq; cellulas suas transportant: ita & veritatis Studiosus, non solum Aristotelem, non solos Aristotelicos, nec solos Ant-Aristotelicos, sed & illum, & istos, & alios, adire &

audire, ex omnibus selectissima excerpere, & in augustissimas rationis suæ cellulas reponere, tenetur. πάντα δοκιμάζετε, τὸ καλὸν κατέχετε. Si verò novum quid, & ab iis qui ante nos fuerunt non animadversum, huic istique anxio Naturæ scrutatori sese ostentet, cur id vel reticendum, vel contra sensum & rationem negandum, vel in fraudem veritatis amatorum quovis modo palliandum, veniret? Maneat potiùs altâ mente repositum illud Senecæ; *Multum egerunt, qui ante nos fuerunt, sed non peregerunt; multum adhuc restat operis, multumq; restabit, nec ulli post mille secula præcludetur occasio aliquid adhuc adjiciendi.*

## *ADIECTANEA.*

Cum præter spem & Typographi promissum, pagellas aliquot spectarem vacuas, calamo currente vacuum illud replere non dubitavi. Placuit ergò in gratiam Vetustissimorum Philosophorum unicam movere quæstionem, eamq; brevibus ac rotundis responsionibus dare expeditam. Est igitur

## QVÆSTIO.

### *Quænam Philosophorum Veterum fuerit sententia de Atomis?*

℞.

Per Atomos veteres Philosophi non intellexerunt Corpuscula illa, quæ loco opaco per transversos Solis radios in aëre volare videntur, sed longè minutiores particulas, præ summâ parvitate individuas, quæ conjunctæ videntur, disjunctæ videri nequeunt. Viderunt enim è particulis invisibiliter è terrâ eductis, nunc nebulam, nunc rorem, nunc pruinam, nunc nubem generari; pòst autem & nebulam, & rorem, & pruinam, & nubem iterum dissolvi, hominumque sensus & mentes ludere & fallere. Viderunt fumum primùm totius continui ostentare faciem, pòst levi aëris aurâ in multa millia dispergi atomorum. Viderunt aquam igni adpositam ita turbari & conturbari, ut è fundo ad latera & operculum, & hinc in aërem etiam cursu vagabundo vergat & prosiliat. Viderunt aurum in minimas & invisibiles partes agi, & pòst ite-

iterum cogi & incrassari. Viderunt homines, bruta, plantas, cæteraq; corpora in corruptionibus in multas atomorũ myriades abire, & in generationibus etiam ex atomorum numero innumero conflari. Hinc

I. Interrogati Veteres, de numero Principiorum Physicorum, Infinita principia esse, responderunt. Infinita, ob has ipsas atomos infinitas. Infinitæ enim atomi sunt, si eas quæ ejusdem speciei sunt spectes. Nam etiam ad guttulæ unius constitutionem, plures atomorum aquearum myriades concurrunt. Infinitæ etiam sunt, si illas quæ specierum diversarum sunt consideres. Quot enim quæso ludunt pisces in undis, avesq; in aëre? Innumerabiles dubio procul, non saltem individuorum, sed & specierum respectu. At species quævis sua propria & peculiaria habet principia. Innumeræ ergò species innumera & infinita postulant principia.

II. Interrogati Veteres, de Generationum, Corruptionum, aliarumq; Mutationum, Causis, Atomos eas esse dixerunt. Sæpè enim cum aqua limpidissi-

diffima per canales decurrit, lapides canalibus adnaſcuntur. Jam unde hæc ſaxea, dura, & craſſa corpora? Utiq; è tenuiſſimis & inviſibilibus lapidū particulis, quas appellitavêre Atomos. Sic & ſæpè incendium fit, ob paucas ignis ſcintillulas, quæ ob parvitatem ſuam latitârunt in cineribus. Sæpè venenum inviſibiliter per atomos ſuas ſumitur, & miras miſerasq; mutationes corporibus infert. Sæpè januæ redduntur majores, vina potentiâ fiunt debiliora, & integra exſiccantur flumina; unicè pro variâ variarum atomorum poſitione, diſpoſitione. Sic & poma frigefacta, in hypocauſtum delata, frigiditatem in & cum atomis aqueis ejiciunt. Et quomodo frigus è parietibus & muris exeat, nec docti nec indocti ignorant.

III. Interrogati Veteres, de Miſtionis naturâ & ratione genuinâ, iterum ad ſuas reſpexerunt Atomos. Cum enim dimenſionum penetratio poſſibilis non ſit, ibi ubi in miſto aer eſt, ignis, aqua & terra eſſe nequeunt, & ubi ignis, aqua, vel terra ſunt, ibi aer eſſe non

non poteſt. Corpus enim in corpus non migrabit. Juxta minutiſſimas ergò particulas in miſto quatuor ſtant Elementa. Sic & ſi manum acu pungas, dolorem habebis, qui vel ſolus te de miſtione per atomos factâ erudire valebit. Ubi enim dolor, ibi ſpiritus animalis & præſentia & efficacia eſt: ubi ſpiritus animalis efficacia, ibi ſpiritus vitalis præſentia eſt: ubi ſpiritus vitalis præſentia, ibi & ſpiritus naturalis, & ſpiritus inſitus, & Elementa, & principia Chymica, negari nequeunt. Quæ omnia in particulâ acu læſa in quantâ quæſo aderunt magnitudine?

IV. Interrogati Veteres, de modo Miſtionis, Generationis & Corruptionis, ad Atomorum σύγκρισιν & διάκρισιν confugerunt. Ex atomorum n. conjunctione res naturales generari docuerũt, non ſecus ac ex lapidibus, luto, & lateribus formantur domus; & quemadmodũ ex viginti quatuor literis, aliter atq; aliter diſpoſitis, omnes gignũtur dictiones, orationes. Contrà, ex atomorum diſjunctione corpora naturalia viciſſim inte-

interire & corrumpi, dictitarunt: adeò, ut corruptio sit mera copulatorum segregatio, nihilq; unquam vel in privationem, vel in nihilum abeat atq; discedat. Hinc ligno corrupto aut cadávere putrefacto, aliquot millia atomorum egredi dixerunt, id quod per nares, oculos, aliaq; sensuum organa, subindè experimur.

V. Interrogati Veteres, quid in aëre, terrâ, aquâ, igne, totoq; Mundo sit; Atomorum plenum esse aërem; plenā aquam, plenam terram, plenum ignem, Mundumq; totū nil nisi atomorum domicilium & compagem esse; responderunt. Cujus rei indicia haud levia hinc inde in naturâ habentur. In aquis enim omnis generis herbæ & pisces nascuntur & aluntur, imò lapides etiam vermesq; copiâ magnâ generantur & formantur. In terrâ etiam quot millia corporum naturalium non absq; stupore latitare videmus & recognoscimus?

*Hæc, ut dictum, calamo currente.*

DEO LAUS ET GLORIA.

